



600010204D

HISTORIA
POPULI JUDAICI BIBLICA

USQUE AD OCCUPATIONEM PALÆSTINÆ

AD RELATIONES PEREGRINAS

EXAMINATA ET DIGESTA.

AUCTORE

CHRIST. THORNING ENGELSTOFT

LICENTIATO THEOLOGIÆ.

HAVNIÆ.

TYPIS EXCUDEBAT DIRECTOR *JANUS HOSTRUP SCHULTZ*,
AULÆ REGIÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXXII.

Conspectus Argumenti.

Historia Judæorum.

Caput I.

De colonia in Palæstinam deducta.

Caput II.

Historia Abrahami et Isaaci.

Caput III.

Historia coloniæ a Jacobo deductæ tam in Palæstina quam in Ægypto, necnon historia Josephi.

Caput IV.

De exitu Hebræorum ex Ægypto.

CAPUT V.

Historia egressorum usque ad occupationem Palæstinæ.

CAPUT VI.

De concordia chronologiæ propositæ cum Vetere Testamento.

HISTORIA
POPULI JUDAICI BIBLICA
USQUE AD OCCUPATIONEM PALÆSTINÆ
AD RELATIONES PEREGRINAS
EXAMINATA ET DIGESTA.


600010204D



scure indicavit, Hebræum populum non antiquissimum esse; tamen et series generationum continua, qua Abrahamus cum Noacho conjungitur, et commemoratio rerum, quæ frustra in annalibus aliorum populorum quæri videbantur, chronographos in errorem induxerunt. Quum vero etiam aliæ gentes avos suos a diluvio inde recenseant, atque annales eorum res eas, quas Hebræi ut diluvio proximas tangunt, tanquam longe recentiores collocent, jure dubitandum est, an Hebræorum relationes pro norma temporum et rerum habendæ sint. Contra ubi annales altius in serie seculorum ascendunt, ibidem vita culta et historica ars prius ortæ sint, necesse est; atque antiquitatis laus magis eis tribuenda est. Babylonii vero et Ægyptii initium rerum et historiæ, quod a diluvio capitur, multo altius in serie seculorum reponunt. Dubitantes itaque, populum Judaicum inter antiquissimos esse, suscepimus comparationem inter relationes Hebraicas et Babylonicas Ægyptiasque. Fragmenta historica momentaque in Hebræa traditione leviter tacta in annalibus peregrinis indagavimus, populumque Judaicum ita suo loco inter alias gentes collocare studuimus.

Chronologiæ ita imprimis consulentes, simul tamen eventa majora, quantum per collationem aliarum de eisdem relationum fieri potuerit, illustravimus, et sive inde, sive ex indole narrationis S. S. ea sic exposuimus, uti nobis considerantibus se obtulerunt. Placuit enim magis unam persequi expositionem, quam alias aliorum sententias examinare. Neque suo fructu caret opus, quod aggredimur, non solum quod verum indagantes semper operæ pretium facimus; sed etiam quod sic aliquid conferre licet ad originem et fidem Pentateuchi æstimandam. Ete-

nim relationibus, quæ in dubium vocatæ fuere, passim addetur fides; tempora contrahendo Pentateuchi origo propius ad Mosaicum ævum et res, quæ narrantur, adducitur; conjunctionem cum Phoenicibus Aegyptiisque probando explicantur phoenomena, quæ ævum Davidis et Salomonis ostendere aliis videntur; et denique crisis, quæ in indole ipsius Pentateuchi subsistit, in circuli vitium facile delabitur, nisi aliunde constet, quid veri insit, et quid ab ingenio referentium proficiscatur.

Quapropter me, difficultatis tantum non omnium et levitatis nonnullorum haud ignarum, operæ non poenitebit, si contigit quædam aut approbanda proponere aut accuratiori examine digna doctis monstrare.

Fines operis pro natura rei constituimus; quoniam enim Hebræus populus demum nomine populi dicendus est, a quo Abrahamus colonos ex patria deduxit, ab Abrahamo auspicandum putavimus; et quoniam ab occupatione Palæstinæ, Josva duce, historia Judaica aliquamdiu delitescit nec postea eodem modo cum peregrina conferenda est, in illo tempore subsistendum duximus.

Antequam vero ad ipsam historiam enarrandam accedere licet, necesse est, ut aliquid de fontibus nostris dicatur, quippe qui nec ejusdem fidei ab omnibus habeantur, nec satis pro usu, quem paramus, illustrati esse videantur. Quæ ubi dicta sunt, fata Judæorum enarrabimus, et denique chronologiam, quam invenimus, cum S. S. conciliabimus.

Præparatio.

I. Opera Græcorum de Judæis.

§ 2. *De usu librorum, qui de Judæis ab exteris conscripti sunt, eorumque conspectus.*

Si origines populi Judaici ad ea, quæ ab exteris traduntur, examinare placet, relationes duplicis generis esse videntur. Aut enim libri consuluntur, qui res Judæorum partemve earum data opera tractant, aut annales gentium vicinarum lustrantur, ut mentio rerum Judaicarum in eis reperiatur. Quamquam illius generis quondam plurimi exstiterunt libri, tamen, si vel conservati fuissent, non multum usum præbuissent. A Græcis enim compositi erant, et ratio historicorum Græcorum, si aliena narrabant, partem utilitatis tollit. Etenim exemplo Herodoti et Diodori constat, Græcos secutos esse morem per se satis laudandum, quo historiam gentis alicujus scripturi in patriam ejusdem se conferrent, ut ibi discerent, quid unaquæque gens de suis fatis narrandum haberet; negligentes omnia, quæ per eandem de eis, quibuscum commercium ei fuerat, comperire potuissent. Quæ ita accipiebant, deinde sine examine et sine collatione cum historia alio-

rum, tanquam relata referentes, tradidere. Quodsi quidam res Judæorum tractabant, aut relationes Sacræ Scripturæ repetierunt, aut ea, quæ ore tradita inter Judæos circumferebantur, adjunxerunt. Quam ob rem, si vel ab extero relata, historia domestica dicenda est. Fieri tamen potest, ut nonnulli, loco et tempori rerum narratarum propiores, aliqua aut inter populares suos ore servata,[2]) aut inter exteros de Judæis tradita,[3]) addiderint. Neque ipsa illa, quæ inter Judæos compererant, temere rejicienda sunt: quapropter aliquis ex talibus libris fructus exspectandus relinquitur.

Longus foret et inutilis labor, indolem librorum ex paucis, quæ supersunt, fragmentis depingere velle. Breviter vero nomina auctorum, quos invenimus, apponemus. Ante seculum quartum a. C. n. nondum historia Judaica Græcis innotuit; *Herodotum* latuit copia rerum inter Hebræos servata; a Phoenicibus et Syris eos non distinxit,[4]) et in rebus Ægyptiacis exponendis commorationis eorum in Ægypto mentionem quidem fecit, sed ignarus ipse, de quibus loqueretur. Sed ex quo expeditio Alex-

---

[2]) v. c. ubi *Nicolaus Damascenus* de loco, quo Abrahamus habitavit, tradit, vel *Philo Byblius* de sacrificio Isaci.

[3]) v. c. ubi *Artapanus* relationes duas de transitu per mare rubrum inter Ægyptios sciscitaverat.

[4]) II, 104, *Φοίνικες καὶ Σύροι οἱ ἐν τῇ Παλαιςίνῃ* appellantur. Observandum quoque est, Herodotum Asiam visitasse seculo, quo res Judæorum, urbe recens restituta, tam turbulenter agerentur, ut fere nulla supersit ejus historia.

andri Magni copiam Judæos cognoscendi fecerat, plurimi Græci historiam Judæorum tractare coeperunt. *Hecatæus*, Abderita, librum de Judæis, (*Jos.* c. Ap. I, 22) ut puto, de fatis Judæorum tempore Alexandri Magni, quibus ipse interfuit,[5]) et alium de Abrahamo (*Jos.* Antiq. I, 7. 2) conscripsit. *Eupolemus*, qui de Asyriis egit, historiam Judæorum aut singulari libro, aut in opere de Assyriis tractavit,[6]) idemque commentarium de Elia propheta composuit. (*Euseb.* Præp. IX, 30) *Theodotus* et *Philo* senior, poetæ, fata Judæorum epice decantarunt. (ibid. IX, 22. 20. 24) De plerisque his aut traditum est, aut examine operum apparet, eos fontibus domesticis Judæorum usos esse. Primus alienos consuluit *Artapanus*, leves quidem relationes secutus, sed magna diligentia materiem comparans. (*Eus.* Præp. IX, 27) Morem faciliorem imitati *Cleodemus* vates, qui et *Malchus*, res Judæorum narravit, (*Jos.* c. Ap. I, 15) argutiis etymologicis, ut videtur, admodum deditus, et *Demetrius* relationes S. S. repetiit, tam abunde simul traditionibus Judæorum usus, ut annos mensesque natales filiorum Jacobi addiderit. (Præp. *Eus.* IX, 21. 29) *Aristæas*, auctor *τȣ̃ περὶ Ἰουδαίων*, tanquam historiæ Jobi testis producitur (ibid. 25); an vero integram historiam Judæorum conscripserit, non constat. Inter omnes

---

[5]) Integram enim Judæorum historiam non descripsisse videtur, quum tantam ignorantiam prodiderit, ut Judæos a *Persis* e patria abductos dixerit. ibid. p. 1188 (ed. Haverc.)

[6]) Citatur: *ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων*. *Euseb.* Præp. IX, 17.

vero duumviri excellunt *Alexander Polyhistor* et *Nicolaus Damascenus*. Ille, Sullæ Romano æqualis, opus de Judæis exaravit, quod ab Eusebio ἡ περὶ Ἰουδαίων συντάξις appellatur et magna laude commendatur. (Præp. IX, 17) Pauca operis hodie supersunt fragmenta; ex quibus si judicandum est, magis aliorum relationes collegisse et exscripsisse, quam historiam proprio judicio composuisse videtur; aliorum enim sunt omnia, quæ ex opere ejus citantur. Eadem ratione *Nicolaus Damascenus* opus suum maximum composuisse videtur; scripsit enim πολυβίβλον ἱστορίαν καθολικήν, libris 144 absolutam. Unus eorum historiam Judæorum continebat (Jos. Antiq. I, 7. 2); sed plane interiit. Quum vero nusquam citetur, nec multa nova nec res magni momenti ei infuisse, putandum est. In cæteris libris passim quædam Hebræos tangentia attulit;[7]) quominus vero in his Hebræos ante oculos habuit, eo certius est, eum non ex eorum traditionibus hausisse, et quo minus cum eisdem consentit, eo majorem nobis usum præstare potest.

Quibus si adduntur omnes illi, qui aliud agentes Judæorum meminerunt et symbolas ad eorum historiam contulerunt, quorum sunt *Timocharus*, *Mensor Syriæ*, *Clearchus*, *Mnaseas*, *Aristophanes* et alii,[8]) non exigua sane fuit bibliotheca Græco-

---

[7]) v. c. in libro 96 de diluvio et archa Noachi, in lib. 4 de Abrahamo.

[8]) cf. *Jos.* c. Ap. I, 23. *Eus.* Præp. IX, 42: ubi Eusebius monet, se adhuc pluribus nominibus catalogum augere potuisse.

rum, qui de rebus Hebræorum scripserunt. Et accedunt adhuc ii, qui arma ab historia contra Hebræos petierunt, quorum sunt *Melo* [9]) et *Apion*. Sed quemodmodum in his partium studium, sic in illis solita ratio materiam comparandi, atque in omnibus negligentia in crisi adhibenda faciunt, ut inde raro historia V. T. augeri, rarissime autem relationibus vere peregrinis collustrari possit, et ut nunquam absque novo rei examine quicquam inde adhibendum sit.

II. De historia Babylonica.

§ 3. *Duplex rerum Babylonicarum systema.*

Majorem usum præbere possunt libri, qui historiam vicinorum continent, quando in eadem aut Hebræorum mentio facta est, aut res narrantur, quæ cum fatis eorum cohærent. Etenim sic contingere potest, ut et tempus, quo res evenerint, constituatur, et ipsa eventa penitius cognoscantur: nam quamdiu ab uno solummodo populo narrantur, semper periculum est, ne pro singulari ejusdem aut studio aut ingenio deformatæ quasi per vitrum coloratum aspiciantur. Illud præstat historia Babylonica, utrumque vero historia Ægyptiaca. [10])

Quamquam omnes libri, qui propter historiam

[9]) Præp. *Eus.* IX, 19. Nomen fictum est, et fragmentum ignorantiam palam facit.

[10]) Quamvis historia *Phoenicum* sane non negligenda videatur, de ea tamen h. l. haud disputabimus; nam ea ejusdem pars, qua pro finibus nobis propositis unice utendum erat, tota periit; et paucissima, quæ a re-

Babylonicam consulendi sunt, græce et maxime a Græcis conscripti sunt, tamen et quoad fidem et quoad res narratas multum invicem distant. Quod argumentum attinet, in duas partes abeunt; alii initio narrandi ab Assyriis facto, fata Babyloniorum omnia ante invasionem Assyriorum neglexerunt. Alii, a diluvio orsi, longa tempora regno Babylonico tribuunt, antequam regnum Assyriacum sub Nino prævaluit. Ex eo fonte fluxit tanquam necessaria sequela, regnum Assyriorum in immensum ab illis extendi, ne brevior fieret historia rerum. Successoribus Nini, qui Babyloniæ imperarunt, anni mox 1240, mox 1459 itaque dantur; altera relatio vero eisdem nonnisi annos 526 v. 520 tribuit. Illud systema, quod Assyriacum dicere licet, *Ktesiæ* debetur, hoc vero, quod Babylonicum dicendum est, *Beroso*. Utrum veritatis notam gerat, jam videndum est. Si a priori judicantur duæ relationes de fatis populi alicujus, quarum una a gente regionem armis occupante auspicetur, altera vero ante invasionem ejus multos reges, priores aliorum invasiones et plures regum dynastias recenseat, hæc tanquam plenior præferenda est. Deinde Ktesiæ auctoritas semper exigua est [11]), et in serie regum Assyriorum, quam is proponit, multa ab omni probabilitate abhorrent: et Semiramis et Ninyas ætatem

lationibus Phoenicum et cognitione eorum petemus, non flagitant integram historiæ eorum considerationem.

11) Vide v. c. quæ *Volnæus* de fide ejus monuit. Recherches sur l'histoire ancienne: t. II. p. 118. Quibus assentitur *Niebuhr* in tractatu: Historischer Gewinn aus

ultra centum annos egerunt, si credendum est Ktesiæ; inter reges 36 continuos ne unus quidem minus quam 20 annos regnasse, et tam exiguus regum numerus secula 13 vel 14 explevisse dicitur. Deinde Ktesias solis Assyriis documentis usus videtur, nec mirum, quod Babylonii sacerdotes, penes quos documenta historica erant, Græco non copiam eorum fecerunt. Necessitate igitur coactus, ab Assyriis historiam generis humani orsus est. Nihilominus tamen ipse invitus regni Babylonici antiquioris mentione fecit. tradit enim, regem Babyloniæ a Nino captum esse, et Babylonem fortissimis munimentis cinctam fuisse. Nec minus V. T. probat, regnum Babylonicum ante Niniviticum floruisse Gen. 10, 8-12, et systemati Babylonico sic calculum adjicit.

Nihilo tamen secius et multi Græci [13]) et ipsi chronographi christiani systema Ktesiæ adoptarunt. Hi ducti putantur præconcepta opinione, Abrahamum Nino æqualem fuisse [14]); quapropter quum imperium Assyriorum seculo nono ante æram christianam desiisse putarent, primus ex Assyriis rex cum Abrahamo coævus esse nequiit, nisi Ninyades

der armenischen Uebersetzung der Chronik des Eusebius in ejusdem kleine Schriften p. 210: "beyde (Abydenus und Cephalion) folgten dem Ktesias oder andern keiner Aufmerksamkeit werthen Griechen, sowohl in der zu kleinen Zahl der assyr. Koenige, als in der ungeheuern Uebertreibung der Dauer ihrer Monarchie.

13) *Cephalio*, *Castor* (*Eus.* Chron. p. I. p. 83, 93-97 ed. Venet). *Diodor.* Bibl. histor. lib. II.

14) *Niebuhr* l. l. p. 190.

per 1400 annos regnassent. Magis tamen alia ratio chronographos christianos movisse videtur, scilicet quod Ktesias ordinatiorem regum et annorum seriem exhibuit et majori Græcorum consensu commendatus erat [15]. Sed systemate Ktesiæ prælato, in angustias redacti sunt; quum enim Ktetias nil de rebus ante invasionem Assyriorum gestis tradidisset, confugerunt ad Berosum; is autem quinque dynastias et reges 163 ante Ninum recenset, e quibus itaque pro mensura temporum, quam e S.S. adhibebant, modo paucissimos admittere potuere, cæteris sine examine tanquam figmentis repudiatis.

Vetuit tamen sincera Eusebii fides, quo minus discrepantiam silentio occultaret; Systema *Berosi* ex commentariis *Polyhistoris* in Chronico suo exhibuit. Quum Chronicon Eusebii periisset, et ea, quæ *Syncellus* (p. 78.) ex eodem excerpsit, mire confusa sint, interpretationi Armenicæ acceptum fertur, quod hodie sytsema Berosi superest. Post quinque dynastias, quas recenset, demum Ninyades imperium adepti dicuntur, quod tantum per annos 526 tenuere. Quamvis *Herodotus* antiquissimas Babylonis res in operibus hodie superstitibus non commemoraverit, is tamen systema Berosi manifeste tue-

[15]) Forsan accessit quoque ea ratio, quod Ktesiæ systema utpote ab una recentiorum dynastiarum orsum, brevius temporis spatium inter initium rerum et secul. 9 a. C. præbuit, quam Berosi; brevius vero arctæ temporum computationi biblicæ melius convenire visum est, quam tantum spatium, quod Berosus inter diluvium et finem imperii Assyrii interesse tradit (fere annos 1500 præter 340,80).

tur; nam Asyriis Asiæ superiori imperantibus modo 520 annos attribuit (Lib. I, 95). Dissensus levis, forsan ex numero rotundo ortus, veritatem rei non destruit, probat vero, Berosum non Herodotum secutum esse.[16] Quibus testibus consentientibus, non dubium est, quin hæc rerum propositio præferenda sit. Recentiores hujus rei investigatores jam dudum Ktesiam damnant, et consentiunt in relationibus Berosi præferendis. Ad ea enim, quæ de levitate fidei Ktesiæ monuimus, accendunt, quæ jam de fide Berosi dicemus.

§ 4: *De fide Berosi.*

Missa relatione Ktesiæ, non inde sequitur, ut relatio *Berosi* accipienda sit, nisi justæ rationes fidem ejus tueantur. Fides ejus vero nec internis nec externis rationibus caret. In universum non tam studio dubitandi in rebus historicis indulgendum est, ut relationes, quæ faciem historicam præ se ferant, aut ad fabulosum genus rejiciantur, aut sine gravibus rationibus, figmenti instar, absoluto odio reprobentur. Terrent vestigia chronographorum christianorum, qui normam temporum in Genesi reperisse sibi visi sunt, ultra quam nulla relatio ascendere, et a qua nulla computatio discrepare posse putabatur, quin ipso dissensu mendacii se convincerent.

[16]) Et ipse dissensus tolli potest; nam Berosus de imperio in Babylonios, Herodotus vero de imperio in Medos proxime agit; Medi prius rebellarunt, et Babylonii prius subacti sunt, ita ut facile discrimen annorum 6 cogitari possit.

Quum *Berosi* relatio ab historia Ktesiæ eo nomine discedat, quod dynastiæ cuidam summam annorum tribuit, quam fere duplicem Ktesias eidem assignat; aliquis crediderit, eum per artem computationis, quæ ab aliis ejusdem temporis historicis non aliena fuit, longius spatium in brevius contraxisse, ut probabilitati vel systemati præoccupato consuleret. Sed apparet, Berosum non artibus ejusmodi usum esse; nam in prima sua dynastia sincerus refert, quæ invenerat; duobus proximis a diluvio regibus plus quam 2 millia annorum attribuit, [17]) et dynastiæ toti, reges 86 comprehendenti, annorum 34 millia et 80 annos adscribit. Quæ mythica erant, ergo mythica reliquit, nec ea contra naturam in veram historiam convertere laboravit. — Initium omni historiæ est a mythis vel fabulose narratis; nam demum postquam multa evenerunt, quæ vix et ne vix quidem memoria adhuc servantur, incipiunt homines res suas litteris mandare; et deficientibus adhuc necessariis scribendi remediis, initium historici ævi magis retardatur. Sic accidit, ut traditiones omnium populorum a mythicis rebus exordium faciant. Quas, si historicus tacet, ut ab historicis rebus demum auspicetur, aut sinceritas aut plena fontium peritia in eo dubitanda est; ne dicam, nulli historico vilipendenda esse, quæ in talibus lateant, veritatis grana, magni momenti habenda in origine populi primisque fatis et moribus eruendis. Ktesias sic, sive fontibus rerum destitutus, sive arbitrio usus, ab Assyriis regibus historiam

[17]) Chronic. *Eusebii* Pars. I, p. 40 (ed. Venet).

suam orsus est. Berosus vero, quum mythicas hasce traditiones non spreverit, et suam sinceritatem et fontium antiquitatem comprobavit. — Babylonii, utpote studiis et litteris insignes, citius, quam alii populi, ad historica tempora pervenisse putandi sunt. Nec aliud probant annales Berosi. Etenim postquam primis duobus regibus prædicta annorum summa tributa est, post aliquot generationes ad solitum regnorum spatium perventum esse, necesse est; quum alioquin tota annorum summa, quæ dynastiæ assignatur, haud suffecisset.[18]) Et proxima dynastia omnino notam historici ævi præ se fert: nam 8 reges annos 224 regnasse dicuntur. — Quemadmodum in hac ratio, quæ numero regum cum summa annorum intercedit, probabilitati omnino convenit, ita in sequentibus dynastiis omnibus; quodsi vel in una regna breviora videantur,[19]) non est, cur dubitetur, motus internos vel mores emollitos regum eorum æva contraxisse. Maxime quum Berosus in hac ipsa re Herodotum assentientem habeat.

Etenim externis quoque rationibus fides Berosi munita est. Cum Herodoto in unica re, quæ ab utroque commemorata est, consentit, nec minus cum Vetere Testamento et historicis Phoeniciis in eventis

---

[18]) Sic *Niebuhr* l. l. p. 191 et 92: Wenn das Verzeichniss des Berosus, der diese und die folgenden alle namentlich nannte, erhalten wäre, mit der Angabe der Jahre jedes Koenigs, so würden wir sie wahrscheinlich schnell zu der des jetzigen Menschengeschlechts herabsinken sehen.

[19]) In sexta dynastia, quæ Assyriorum est, reges 41 modo annos 526 regnasse dicuntur.

seculi octavi et sequentium narrandis conspirat.[20]) Inclyta ideo fuit fides Berosi inter antiquos historicos.[21]) *Tatianus* eum testem maxime idoneum appellat (*Euseb.* Præp. IX, 11); *Josephus*, eandem laudem repetens, affirmat, eum antiquissima rerum documenta secutum esse (c. Ap. 1, 19); *Alexander Polyhistor* refert, eum usum esse monumentis, quæ summa cura Babylone asservarentur; eisdem vero ætatem ab argumento solo tribuisse videtur.[22]) Nisi tales relationes e mero arbitrio scribentium profecta censeantur, credendum est, Berosum ipsum ad antiqua et fida documenta tanquam fontes suos provocasse. — At ab hac ipsa parte maxime dubia moventur. quantum enim miraculum, si historicæ relationes ad tam antiqua tempora ascenderint, idque Babylone, ubi Nabonassar a. 747 documenta omnia historica delevisset! Sed pro antiquitate vitæ cultioris[23]) et astronomici studii apud Babylonios,[24]) non

---

[20]) quæ vide *Joseph.* c. Ap. 1, 19-21.

[21]) Honor ab Atheniensibus ei exhibitus, quum statuam ejus in Gymnasio, aurata lingva, collocarent, (*Plin.* 7, 37), non tam historiæ quam astronomiæ peritiam testatur, (*Vitruu* X, 7, 4), quamvis astronomia ejus multis nominibus taxetur.

[22]) *Eus.* Chron. I, 17 Asseverat scilicet, ea inde a 215 annorum myriadibus servari.

[23]) Cujus exempla sunt insuperabiles Babylonis munitiones a Ktesia in historia Nini commemoratæ, et vetustæ demolitione turris et adventu Oannis traditiones § 15.

[24]) Si etiam nec per 470 nec per 720 annorum millia, (*Cicero* de nat. D. I, 19, 2, 46. *Diodor* 2, 31. *Plinius* hist. nat. 7, 56) tamen fere per duo annorum millia ante Alexandrum sidera servasse putandi sunt. (*Simplicius* ad Ari-

est, cur dubitetur, annales, qui criteriis veritatis internis commendentur, re vera a priscis inde temporibus esse litteris mandatos.[25]) Et quum Nabonassar historica documenta deleret, si relatio vera est, magis in commentarios rerum, quam in catalogos nominum sævivisse putandus est, ac facillime fieri potuit, ut regum nomina et regna, cum observationibus astronomicis conjuncta, a sacerdotibus ab interitu eriperentur; ad eadem vero Beroso utpote sacerdoti aditus patebat. Et vere, si res ante Nabonassarum gestas fuse descripsisset, dubio locus fuisset, sed præter nomina et tempora fere nil attulisse videtur, nisi quæ de diluvio et arca traditione omnium Asiatarum circumferebantur; nam non solum alia nulla ab iis citantur, qui opus ejus integrum inspexerunt; sed etiam *Josephus* (s. Ap. 1, 19) id testari videtur, quoniam, relatione de Nabopallasaro usurus, monet, Berosum a Noacho ortos recensentem, et sua quibusque tempora assignantem, tandem ad Nabopallasarum venisse, acsi ante eum maxime nomina et tempora enumerasset. Jejuna vero nominum et annorum recensio sic fidei pignus est.

---

stotelem testem facit Porphyrium. *Ideler* in Abhandl. der Berlin. Academie der Wissensch. 1814 et 15) id quod et eo nomine confirmatur, quod a seculo 8 a. C. defectiones lunæ accurate observatæ sunt (*Ptolomæus* Almag. *Ideler* l. l. 1815 p. 203).

[25]) *Niebuhr* l. l. p. 201: Für den Orient läßt sich das Daseyn von Regententafeln und Annalen, die eine Sammlung von Anzeichnungen zu denselben waren, nicht nur mit Fug annehmen, sondern ihre Glaubwürdigkeit wegen der astronomischen Beobachtungen — wenigstens in Hinsicht der Chaldäer zuverſichtlich behaupten.

§ 5. *Chronologia historiæ Babylonicæ.*

Quibus ita expositis, *Berosum* et *Herodotum* in chronologia rerum Babylonicarum construenda duces sequimur. Quum Berosus solus res antiquissimas tradiderit, non aliud relinquitur negotium, quam relationes ejus exscribere. Sed quoniam idem a diluvio computationem auspicatur, diluvii vero tempus omnino ignotum est, nec primi anni utpote in mythicis involucris latentes pro vero accipi possunt, necesse est, ut inter res recentiores investigentur momenta, in quibus tempus aliunde notum tangatur. Obveniunt vero sic difficultates satis magnæ. Etenim postquam ad Berosum 6 dynastiæ regum Babyloni imperantium recensitæ sunt, quarum postrema est dynastia Assyriorum, desinit recensus dynastiarum in excerptis *Eusebii*, et quum mox descriptiones rerum, quas Nebucadnezar gessit, subjungantur, chronologica series plane missa est. Finis dynastiarum itaque non minus quam initium in obscurum se abscondere videtur; nec in media serie quicquam est, quod tempora aliunde nota prodat. Sed indicia quædam tamen terminum, ad quem illa periodus computatur, monstrant. Etenim si circumspicimus rationes, cur enumeratio dynastiarum desinat, nulla magis in aprico est, quam quod nulla dynastia continuos præbuerit reges. *Herodotus* (I, 95) scilicet, postquam imperium Assyriorum fractum esset, singulas gentes suis legibus aliquamdiu usas esse, tradit. Quamvis ita credendum esset, seriem regum indigenarum Babylone successisse, quam Berosus nullo pacto negligere potuisset, tamen ali-

unde patet, regnum Babylonicum non constanter libertatem suam tuitum esse; nam Salmanassar colonos e Babylonia abduxit, et Phul, qui post finem annorum illorum 526 regnasse dicitur, a Beroso inter reges Babyloniæ refertur; uterque vero Assyrius erat. Eodem seculo vero sæpius, rebellione facta, in libertatem se vindicarunt; Nabonassar et Merodak et Elibus (Chron. *Eus.* I p. 43) aliquantisper summam rerum usurparunt. Quæ quum esset conditio rerum, dynastiæ non erant, quas compilator in catalogum accipere posset; singuli reges, rebelles et usurpatores, nominandi erant. Eosdem vero enumerare molestius fuit; suffecit nominare eos, qui ob historiam Judæorum præsertim memoria digni videbantur; ideoque continuationis loco monitum est, "post hos Phulum a Beroso commemoratum esse."[26])

Quodsi vero hæc causa sit, cur enumeratio dynastiarum desinat, prope ad tempus, quo Ninyades Babyloniæ imperare cessarunt, accedere licet. *Herodotus* auctor est, saltem annos 150, præter tempus aliquod sine regia potestate actum, inter finem imperii Ninyadum et initia imperii Persarum apud Medos elapsos esse. Quum Cyrus anno 560 Astyagem regno privaret, finis imperii Ninyadum ante medium seculi octavi acciderit, necesse est. Quid? quod Phulus qui post Ninyades regnasse dicitur, adhuc prius comme-

---

[26]) Chron. *Eus.* I. p. 41. "post quos," inquit, (Polyhistor) rex Chaldæorum (Babylonior.) fuit, cui nomen Phulus, de quo item Hebræorum quoque historia meminit."

moratur (c. a. 780-70 cl. 2 Regg. 15, 19); itaque facile ante initium seculi 8^{vi} regnum Ninyadum occidit.

Quoniam vero duumviris, qui recentissimi has res accurato examini subjecerunt, aliter placuit, necesse est, ut antequam ulterius procedatur, argumenta eorum breviter conficiamus. Unanimi Græcorum traditioni creditur, Sardanapallum ultimum regem dynastiæ Ninyadum fuisse. Hunc autem inter reges recentiores deprehendisse sibi visi sunt. *Volnæus* (Recherches Vol. II p. 127-129) eum Assarhaddonem esse putavit, quasi Sardan-pal, filius Phuli, atque idem Merodak Baladan Belesim esse affirmavit; quo fit, ut occasus imperii Ninyadum ad a. 713 referatur. Sed historia repugnat. Ultimi Ninyades tanquam imbelles et effeminati describuntur; reges Assyrii vero, qui Assarhaddonem præcesserunt, non minus quam ipse, fortitudine et rebus in bello feliciter gestis emicant: Phul, Tiglatpilesar, Salmanassar et Senacherib imperia Syrorum et Israelitarum everterunt. Neque ea, quæ de Assarhaddone et Merodako feruntur, fatis Sardanapalli et Belesis conveniunt. Nam Merodak non Asserhaddoni successit, sed fratri Sancheribi, cui Babyloniæ Satrapia concredita erat, quem quum sustulisset et imperio per sex menses usus esset, ab Elibo Babylonio interemtus est, qui demum ipse Assarhaddonem successorem habuit (Chron. *Eus.* I. p. 43). Quid? quod Merodak Baladan non a rege Medorum auxilia habere potuit, uti de Belesi traditur, nam Medi eo tempore nulli regi parebant. [27])

[27]) Dejoces primus post anarchiam rex anno 709 electus est. *Herod.* I, 95.

Quum rex Medorum arma cum Babyloniis junxisset tempore, quo Cyaxares et Nabopallassar Niniven destruxerunt, *Niebuhr*, (l. l.) seductus quoque mentione Sardanapalli tanquam regis ejusdem temporis, statuit, Sardanapallum esse eum, qui a Cyaxare et Nabopallassaro pressus regiam igne consumsit; quem alii Saracum appellant (Chron. *Eus.* I. p. 54). Quamvis facilis negotii videatur, etiam hanc de Sardanapallo opinionem redarguere,[28]) nostra parum refert,

---

[28]) Obstat quidem heic non fortitudo eorum, qui antea regnarunt, nam ab Assarhaddone inde nil praeclari patrasse dicuntur. Sed quum catalogus regum Assyriorum a Nino ad Sardanapallum singulos nominatim recenseat, mirum sane est, ne unum quidem nomen cum eis convenire, quæ seculo 8vo et 7mo inclaruere, si re vera Sardanapallus Græcorum demum c. a. 630 regnasset. Præterea in loco, ad quem provocatur, (Chron. 1, p. 44) nullo modo manifestum est, Sardanapalli nomen regi Assyrio tribui: recensentur successores Assarhaddonis, Sammuges et frater ejus "tum Nabopallassar;" et infra: "post Sammugem regnavit Sardanapallus Chaldæus." Colligitur, hunc Sardanapallum esse fratrem istum Sammugis et proxime ante Nabopallassarum regnasse. Sed aliunde illius nomen atque aliud constat; *Abydenus* eum Saracum appellat. Atque ipse Berosus Sardanapallo Chaldæo tribuisse dicitur omnia, quæ alias Nabopallassaro dantur (eum cum Medis junctum fuisse, Nebucadnezarum genuisse etc.). Qua propter ille non alius est quam Nabopallassar novo nomine dictus. Sic quoque *Syncellus* (p. 210) Nabopallassarum a Polyhistore Sardanapallum Chaldæum appellari monet; unde patet, non vitium textui armenico inesse. Quid? quod, cognomen "*Chaldæus,*" regi Assyrio ex Ninyadibus nunquam tribuendum, nostram interpretationem tuetur, et probat simul, alium esse Sardanapallum, a quo hic, non Assyrius, distingvendus visus sit.

quoniam idem chronologus finem annorum 526 Ninyadum, de quo quæritur, non ad eadem tempora retulit. Sed suspicatur, dynastiam quandam post Ninyades excidisse, eamque Chaldæorum esse censens, imperium Ninyadum ad annum 747 continuatum putat. Sardanapallus, Græcis commemoratus, itaque medio seculo actavo regnasset; sed præter ea, quæ supra de ignavia eorum, qui Sardanapallum præcesserunt, monuimus, omnino arbitrarie et contra probabilitatem affirmatur, Berosum dynastiam a Nabonassaro inchoasse, quum etiam post eum, uti ante eum, res Babyloniorum inter libertatem et servitutem fluctuarent. Probat vero commemoratio Phuli tanquam *post eos* regnantis, finem imperio Ninyadum jam seculo nono vel brevi post factum esse.

§ 6. *Continuatio.*

Ut ad accuratiorem definitionem temporis, quo Ninyades Asiæ superiori imperare desierint, perveniatur, consulendus est *Herodotus*, a quo si vel non multum certi in hac re peti possit, aliquis tamen fructus erit ex diligenti relationum ejus examine. — Quum annales, quos de Assyriis regibus conscripsit, mature admodum perierint, ea, quæ de Medis memoriæ prodidit, nobis in usum vertenda sunt. Auspicatur narrationem de Medis a libera rerum conditione, quam post occasum imperii Assyriorum ortam esse tradit; Dejocem tum regem factum esse et solis Medis imperasse. Postquam deinde potentiam et fata Phraortis, Cyaxaris et Asty-

agis exposuit, affirmat, Medos Asiæ superiori imperasse per annos 128, excepto spatio, quo Scythæ dominati essent.[29]) Verum enim vero ex quo Cyaxares Niniven expugnavit, ad Cyrum usque vix anni 60 elapsi erant;[30]) quodsi vel ante urbem

[29]) I, 130. Ἄρξαντες τῆς ἄνω Ἀσίης ἐπ' ἔτεα τριήκοντα καὶ ἑκατὸν δυῶν δέοντα, παρὲξ ἢ ὅσον οἱ Σκύθαι ἦρχον. Quæritur, utrum spatium imperii Scytharum jam subductum, an de annis 128 subducendum sit. Quamvis *Herodotus* facilius sane 100 annos dixisset, quam 128 subductis 28 (tot enim Scythæ alibi dominati fuisse dicuntur L. I, 106), tamen hic numerus non jam subductus putandus est, ita ut summa integra 156 fuisset; nam sic monitio illa de imperio Scytharum plane redundaret, nec facile ὅσον dictum fuisset, sed ὅσους. Admiratio vero dictionis minuitur, si ad conditionem rerum sub dominio Scytharem attenditur: Cyaxares non per eos imperio Asiæ superioris privatus est; immo Niniven cepisse videtur tempore, quo illi in Media versabantur; quare viginti octo, qui imperio Scytharum tribuuntur, anni non a spatio imperii Medorum eximi possunt. Quod si non 28 anni per verba ὅσον οἱ Σ. ἦρχον intelliguntur, mirum non est, si *Herodotus* dicit, Medos imperasse annos 128, excepto spatio, quo Scythæ dominarentur. Accurate vero hoc spatium ab *Herodoto* non constituitur, nec ei constitisse videtur, nam, quemadmodum ὅσον pro ὅσους posuit, sic quoque forsan aliud dicere noluit, quam imperium quodammodo non penes Medos, sed aliquamdiu penes Scythas fuisse dicendum esse; quasi "dominati per annos 128, nisi quatenus Scythæ interea dominati dicendi sunt." Quidquid sit, anni 128 tanquam integri quærendi sunt, seposita omni Scytharum ratione.

[30]) Incertum est tempus; sed Cyaxares ab anno 634 ad 594 regnavit; Nabopallassar, quocum arma contra Niniven junxerat, imperium adeptus est anno 625; post hunc annum itaque Cyaxares Niniven cepit, ut credunt, eodem tempore, quo Scythæ in Media versabantur.

captam Asiæ superiori imperasset, tamen a primo ejus anno ad Cyrum modo anni 75 præterierant. Fuere itaque, qui a Phraorte inde imperii initium computaverint;[31]) et quum non ab uno certo anno imperium Asiæ ad Halyn usque computari possit, facile fertur, si a Phraorte, quippe qui agrum Niniviticum occuparet, initium imperii ducatur; sed ne sic quidem plus quam 97 anni efficiuntur. Ante Phraortem initium computationis capere, non licet; quia idem *Herodotus* diserte monet, Dejocem, qui præcessit, in solos Medos regnasse (I, 101), Medosque ante Dejocem sine rege fuisse nec ullam gentem alii prævaluisse (ibid. 95). Aut itaque desperanda est fides relationis, aut aliunde, si vel longius, reliqui anni petendi sunt. Jam vero reliqui historici tradunt, reges in Medos regnasse ante Dejocem: non solum auctorem defectionis ab Assyriis regem Mediæ fuisse ferunt, sed post eum alios recensent, nullamque interregni ante Dejocem mentionem faciunt.[32]) Nec mirum est, auctores, qui ubique ob chronologiam regum series sectentur, interregnum omisisse; nec magis mirum, *Herodotum*, libera regiminis forma semper delectatum,[33]) ab eodem uberiorem rerum Medorum expositionem inchoasse, neglectis forsan regibus, qui antea regnassent. Penes Arbacem vero,

---

[31]) Sic *Wesseling* in ed. Herod. ad h. l.

[32]) Discors, quem exhibent, regum numerus inde explicatur, quod in interregno reges aut diutius potestatem tuiti aut prius electi alicubi regnare potuere.

[33]) *ὀυδένα χρόνον οἷοί τε ἦσαν ἄνευ βασιλῆος διαιτᾶσθαι*, subridens de Ægyptiis monuit L. II, 147.

sic referunt Græci, aliquod in Assyrios dominium mansit; collocati sunt Satrapes Medis parentes, donec, viribus auctis, a Medis defecerunt. Quid itaque probilius, quam si *Herodotus* annos obedientiæ eorum cum annis, per quos postea Medi summa potestate usi sunt, consummavit? Postea vero, ut vidimus, tantum annos fere 60 dominati erant, si initium imperii, ut par est, ab expugnatione Ninives computatur; desunt itaque fere 68 a priori dominatione petendi. Assyrii vero Medorum jugum saltem tempore Phuli excusserant, quoniam ille Babyloniæ quoque imperavit. Quodsi annos 68 ante Phulum rerum potiti fuere, imperium Sardanapalli, ultimi Ninyadis, in seculo nono fere anno 48 dissolutum est.

Mirum sane est, *Herodotum* ne uno quidem verbo indicasse, annos imperii istos ex elementis tam remotis compositos esse; tamen quum anni Scytharum etiam ex mente *Herodoti* demi debeant, tempus continuum esse, eo ipso negavit, et, quum hæc unica ratio sit, qua secum conciliari possit, hypothesin attulimus, eamque aliis judicandam relinquimus. [34])

---

[34]) Plerique sine ulla critica ratione textum corruptum esse suspicati, emendationes e conjectura fecerunt; quarum nulla facile ingeniosior esse videtur, quam hypothesis *Niebuhrii*, (l. l. p. 199 not.) legendum scilicet: *ἄρξ. τῆς ἄνω Ἀσίης ἔτεα πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν, παρὲξ ἢ ὅσον οἱ Σκύθαι ἦρχον τριήκοντα δυῶν δέοντα*, quo facto, anni 28 a summa 150 demi debent: et jam re vera reges post interregnum (Dejoces, Phraortes, Cyaxares et Astyages) annos 150 regnarunt, Scythisque anni 28 tribuun-

Verum tamen hæc computatio nondum ad certam temporis, quo Ninyades Asiæ superiori imperare desierunt, definitionem ducere videtur; nam efficitur modo, ut Medi in altera seculi noni parte rerum potiti sint; prouti vero defectio Assyriorum longius in tempora ante Phulum rejicitur, sic cum eadem initium imperii Medorum in priora tempora removetur. Id autem sic invenimus, Ninyades non seculo octavo nec brevi antea potestate privatos esse. Svadent autem quædam, ut finis imperii eorum non altius in seculo nono, reponatur quam *Herodoti* relatio flagitat; Græci enim chronographi tradunt, Sardanapallum ante Olympiadem primam

---

tur. Sed obstat, quod non omnes illi Asiæ superiori imperarunt, prouti *Herodotus* (101) diserte monuit, Dejocem in solos Medos regnasse. *Wesseling* vero (ed. Herod. ad I, 130) postquam numerum annorum regni Astyagis 35 in 39 (*ΛΕ* in *ΛΘ*) mutavit, atque initium imperii Medorum a secundo anno Phraortis computandum dixit, annosque 40 præter annos Scytharum Cyaxari tribuit, vult legi: *ἑκατὸν ἔτεα, παρὲξ ἢ ὅσον οἱ Σκύθαι ἦρχον τριήκοντα δυῶν δέοντα.* Sed augentur ita mutanda, et Cyaxari anni 68 tam contra naturam quam contra testimonium historiæ tribuuntur; nam pater ejus annos 22 et filius 39 regnarunt; et quis crediderit, annos regni Cyaxaris 40 sic esse intelligendos, ut præterea 28 cum Scythis regnasset, ubi *Horodotus* refert, eum regnasse *σὺν τοῖς Σκυθαις ἔτεα μ'*? Si textus mutandus esset, equidem putaverim, nomen *τριήκοντα* omittendum esse, ortum forsan a commemoratione Scytharum, quibus *ἔτεα τριήκοντα δυῶν δέοντα* tribui soleant (106) ideoque legendum: *ἄρξαντες — ἔτεα ἑκατὸν δυῶν δέοντα παρὲξ ἢ ὅσον οἱ Σκυθάι ἦρχον.* Atque a morte Dejocis, qui Mediam solam tenuit, ad Cyrum anni 97 (= 98) intersunt. Temeritatis vero est, textum absque ratione mutare.

aut anno 40 (*Eus.* in Chron. p. I. p. 100) aut anno 67 (*Abydenus* ibid. p. 79) victum esse; id vero est anno aut 827 aut 844; quamobrem non procul a vero abesse nobis videmur, si affirmamus, Ninyades medio seculo nono regnare desiisse.

Invento sic termino, ad quem anni 526 Berosi computandi sunt, sequitur, Ninum medio seculo decimo quarto, vel brevi ante, Babylonem expugnasse (c. 1370). Arabes itaque, quorum est dynastia proxima, in seculo decimo sexto (1585) Chaldæos superarunt, qui quinto seculo antea in Babylonia sedes et imperium condiderant (fere 2043). Dynastias, quæ ante hos regnarunt, recensere, non hujus loci est, quum nullus inde fructus ad nos redundare possit.

III. De historia Ægyptiaca.

§ 7. *De usu et fontibus historiæ Ægyptiacæ.*

Fata populi Judaici intime cum historia Ægyptiaca conjuncta sunt, et feliciter accidit, ut in monumentis Ægyptiacis mentio earum rerum, quæ Judæis in Ægypto evenerunt, facta sit. Qvodsi evinci potest, historiam Judæorum re vera narrari, et tempus, quo res evenere constitui potest, duplicem usum annales Ægyptiaci præstant. Nec levis momenti habendum est, si ita idem tempus invenitur, ad quod historia Babylonica ducere visa est. Etenim quemadmodum duo de una re testimonia semper veritatem rei confirmant, ita maxime chronologia certior fit, quando series rerum aliqua ita cum historia duorum peregrinorum populorum co-

hæret, ut initium ejusdem penes unum, finis vero penes alterum deprehendatur, tanto intervallo invicem dimota, quantum ipsa series poscit.

Manca vero historia Ægyptiaca nobis traditur. Nam cum *Herodotus* et *Diodorus* nec integram nec satis ordinatam rerum gestarum narrationem exhibent, curantes magis Ægyptum describere, quam historiam ejusdem pertexere; tum fontes, e quibus ordinatior historia haurienda erat, periere, superstitibus fere solis nominibus regum et annis regnorum, et quasi per miraculum duo fragmenta, quæ eventa fuse describunt, injuriam temporis evaserunt.

Catalogi regum et annorum ex opere *Manethonis* ab *Africano* et *Eusebio* excerpti sunt, quum vero chronographiæ horum duumvirorum interierint, per *Syncellum* solum constabant, donec per interpretationem chronici Eusebiani Armenicam excerpta *Eusebii* iterum immediate innotuerunt. Nec tamen multus fructus ex comparatione ejus cum excerptis *Syncelli* redundat, nam is tanta cum fide verba *Eusebii* reddiderat, ut nil novi ex ipso chronico peti et modo pauca emendari possint. Isti autem regum catalogi omnino non vilipendendi sunt, non solum quod passim res aliquæ historicæ nominibus regum adduntur, sed etiam quia sic rationes inire licet et tempora extricare eventuum, quibus eidem reges interfuisse dicuntur. Præter reliquias operis *Manethonis* alii duo fontes regum et annorum catalogos continent: chronographia quædam, *Vetus Chronicon* dicta, et series regum Thebaicorum ab *Eratosthene* conscripta; sed quoniam illud nec

nomina singulorum regum exhibet, nec ullo pacto cum *Manethone* æquiparari potest, atque hæc non proxime res nostras tangit, ad *Manethonem* convertetur disquisitio, in qua rectus fragmentorum usus ex scrutatione eorum constituetur, cæterosque fontes obiter perstringemus.

§ 8. *De oeconomia historiæ Manethonis.*

Etenim de opere *Manethonis* haud levia monenda habemus; aberrarunt scilicet a vero, quotquot inde a *Syncello* dynastias Manethonis, quæ dicuntur, in ordinem redigere conati sunt. Nec parum opinione præconcepta de indole libri seducti fuisse videntur. Placet igitur primum oeconomiam operis accurate investigare, eamque, quantum licuerit, ex fragmentis et excerptis colligendo restituere. Per *tria volumina* Manetho res a plurimis regibus gestas descripserat; prius aliquanto post Sesostrim desiit, secundum fere ad tempora Troiana perductum erat, et tertium denique ad Alexandrum descendit. Singulis regibus tempus regni ad menses usque sæpius exactum adscriptum erat[35]), et satis plena singulorum historia apposita. Duplici ratione opus *divisum* fuisse putant, semel pro dynastiis, iterum pro cyclo cynico, qui 16 primas dynastias continere dicitur. Epitomæ, sane, quas *Africanus* et *Eusebius* confecerunt, reges in *dynastiis* compositos sistunt, ita ut 11 earum e primo, 8 e secundo

[35]) Jos. c. App. 26 (p. 1198 ed. Haverc.) *ἐπὶ τῶν βασιλέων ἀκριβῶς τὰ ἔτη προσιθεὶς*, et exempla omnium fragmentorum idem monstrant.

et 11 ex tertio volumine petitæ dicantur. Crediderunt itaque tantum non omnes, qui chronologiæ Ægypti antiquæ operam dederunt, reges eodem modo in ipsis libris *Manethonis* divisos fuisse [86]), et laborarunt frustra ex his dynastiis historiam probabilem construere. Sed plurima docent, hanc divisionem ab opere Manethonis alienam esse, et Africano Eusebioque deberi. Etenim is, qui ante eos historiam Manethonis consuluit, *Josephus* scilicet, ne minimo quidem vestigio prodit, se reges per dynastias distributos invenisse; nam sæpius reges tam in primo, quam in ultimo loco in dynastiis collocatos, ille continuos cum regibus alius dynastiæ recensuit (c. Ap. I, 14. 15), et nusquam monuit, novam inchoari dynastiam. Nomenque dynastiæ in rebus Ægyptiacis non ei præsto fuit, id quod tamen non aliter accidisset, si totam historiam Ægypti per dynastias dispositam invenisset; quando vero novam regum domum rerum potitam esse narrat, non *δυναςείαν*, sed *οἶκον* eam appellavit (Arch. 2, 9, 1). Nec magis *Herodotus* et *Diodorus* de dynastiis quicquam acceperant. Si vel tempore Herodoti, cui tamen nomina regum 341 prælegebantur, dynastiæ a Manethone forsan compositæ nondum exspectari potuerint, tamen silentium Herodoti probat, in antiquis documentis non sollicite dynastias distinctas fuisse, et si-

86) *Marsham* (Canon temporum p. 5 et 94) monet quidem, Africanum auctorem esse primarum dynastiarum, quas Manethonis dicat. sed idem nec satis rationem, qua Africanus ductus sit, investigavit, nec veram operis Manethonis oeconomiam extricare conatus est.

lentium Diodori, qui fortasse ipse Manethonem consuluit, saltem id probat, sacerdotes Ægyptios, quibus sua se debere professus est, non solitos esse per dynastias seriem regum digerere. Deinde pro singulari cura, qua *Africanus* et *Euscbius* annos regnorum singulorum uno sollicite auxerint, si menses plus sex adessent[37]; non intelligitur, quomodo iidem viri aut alio ordine posuerint aliove numero dynastias inscripserint[38]), aut discrepantem regum multitudinem eisdem dynastiis dederint[39]), aut alios reges in eadem dynastia collocaverint[40]), si re vera Manetho stricte dynastias singulatim distinxisset et historiam singularum per se absolvisset. Demum si ipsi divisionem in dynastias invenerunt, talia explicantur[41]). Denique indoles earum partium, quæ integræ apud *Josephum* supersunt, plane a tali dispositione abhorret; etenim non solum nulla ejusdem vestigia insunt, sed reperiuntur, quæ eam excludant. In fragmento majori (c. Ap. 1, 14. 15.), quod inva-

---

[37]) Sic Amenophi, cui Manetho annos 20 et 7 menses tribuerat, hi annos 21 tribuunt: alia exempla vide apud *Rask* den gamle ægyptiske Tidsregning p. 37.

[38]) Sic *Eusebius* dynastiam decimam septimam dicit, quam *Africanus* decimam qvintam appellat. *Syncell* p. 61. Chron. *Eus.* I. p. 213.

[39]) *Africanus* dynastiæ quartæ reges octo, *Eus.* eidem 17; ille dynastiæ qvintæ novem, hic eidem 31 tribuit. *Sync.* p. 57. 58. Chron. p. 207.

[40]) *Euseb.* in dynastia V affert, quos *Africanus* in dynast. VI habet. In dynastia XXVI *Euseb.* unum addit, quem *Africanus* omisit.

[41]) Verba *Eus.* in Chron. I. p. 235: "quem jampridem in aliorum serie collocavi," originem divisionis produnt.

sionem et imperium Pastorum describit, a Timao rege exorsus reges pastorum 6 recenset, et tradit, reges Thebaicos demum, ducibus Misphragmuthosi et Thumosi, filio, eos ejecisse. Thumosis s. Tethmosis vero primus positus est in dynastia XVIII [42]), et tamen Manetho satis aperte indicavit, eum non primum esse in serie ullà, sed modo unum e regibus Thebaicis, qui a Timao inde Thebis regnassent [43]). Inter Timaum et Misphragmuthosin commemoraverat reges Pastorum, quorum 6 et posteros eorum per annos 511 imperasse tradit, sed non solum dynastiæ nomen abest, sed etiam arctissime initium et finis imperii eorum cum regibus antegressis et succedentibus uno tenore conjunguntur. Alio loco (c. Ap. 1, 15.) recensentur reges, qui ad dynastiam XVIII referuntur, et unus adhuc, qui dynastiam sequentem orditur. Jam vero hic adjungitur cæteris sine ullo

---

[42]) Scilicet nullo pacto nobis persvadere possumus, Manethonem hæc narrasse de Misphragmuthosi et Tuthmosi illis, qui in media dynastia XVIII reperiuntur; (sic *Rask* den ægyptiske Tidsregning p. 48. 93 sq. *Syncell* p. 69. *Marsham* p. 250) nam errore non factum esse potest, ut Josephus in § 15 tempora colligens ab alio Tethmosi exierit, quoniam in media computatione denuo Misphragmuthosin et Tuthmosin habeat; nec fraude factum credimus, quo augeretur antiquitas Judæorum; nam ea fraus nimis aperta auctorem convincit. (Rectiora vident *Africanus* Sync. p. 63. *Goar* in notis ad h. l. *Perizon.* Orig. Ægyp. p. 320 sq.)

[43]) Verba sunt: p. 1158. *μετὰ ταῦτα δε, τῶν ἐκ τῆς Θηβαΐδος καὶ τῆς ἄλλης Αἰγύπτυ βασιλέων γενέσθαι φησὶν ἐπὶ τὑς ποιμένας ἐπανάςασιν — ἐπὶ δὲ βασιλέως, ᾧ ὄνομα εἶναι Ἀλισφραγμέθωσις*, etc.

vestigio novæ dynastiæ inchoatæ, et adeo filius de-citur ejus, qui ultimus in dynastia antecedente re-peritur.

Quæ quum ita sint, manifestum est, divisionem per dynastias non Manethoni deberi, sed iis, qui ex historia ejus tempora computare studuerunt [44]); Manetho vero modo antiquorum solito omnia ordine chronologico exposuit, ita tamen ut simul reali re-rum nexui usque consuleretur; fere uti in libris Regum et Chronicorum V. T. factum est.

Majoris vero divisionis vestigium adest in no-mine *cycli cynici:* atque ut V. Chronicon, sic quo-que Manetho ipse cyclum cynicum commemorasse videtur regesque in toto primo et dimidio secundo volumine comprehensos ad eum retulisse [45]). Ob nomen crediderit aliquis, indicari complexum regum in diversis Ægypti partibus coævorum, præsertim quod V. Chronicon eisdem plurimis regibus modo annos 443 tribuerit; sed quum Menes et Sesostris inter eos reperiantur, non imperium divisum cogi-tari potest; hi enim toti Ægypto imperarunt. Pu-taverim equidem, aut originem relationum indicari, utpote quæ a loco sive a monumento sic dictæ fuis-sent, aut potius computationem quandam astronomicam

[44]) Quod *Syncellus* interdum ita locutus est, acsi dynastiæ ab ipso Manethone proficiscerentur, (v. c. p. 52) inde factum est, quod is, libris Manethonis aut jam perditis, aut sponte neglectis, per Eusebium et Africanum in eam opinionem inductus erat.

[45]) Eosdem scilicet, quos Africanus in sedecim primis dy-nastiis collocavit. *Sync.* p. 103.

latere[46]). Consentit *Goar*, (Emend. et Annot. ad *Syncell.* p. 17.) qui periodum annorum 1460 significari docet; post tot enim annos initium anni, errore computationis evanescente, ad idem principium revolvitur. Nec improbabile est, Manethonem tot annos a Mene ad tempora Pastorum elapsos putasse. Sed ipse non multum huic computationi tribuisse videtur, quum nec volumina sua ad eam diviserit, nec Africanus et Eusebius ea usi sint.

Ubi in excerptis Africani et Eusebii ad novum volumen excerpendum transitur, indicatur, quot singula contineant reges et quanta temporis spatia comprehendant. quæritur, utrum Manetho ipse, an duumviri excerpentes hæc addiderint. Quoniam hi tam numero regum quam annorum summa poene consentiunt,[47]) licet diversissimam regum multitudinem aliasque annorum summas in ipso recensu exhibeant,[48]) crediderit aliquis, eos hos numeros non consummando invenisse, sed in opere Manethonis sic reperisse. Attamen hoc non probabile videtur. nam primum desideratur eadem consummatio

---

46) Sirius scilicet inter Ægyptios celebratissimum erat astrum. *Diod.* 1, 19.

47) *Africanus* tomo primo reges 192 et annos 2350, *Eusebius* eidem reges totidem annósque 2300 inesse affirmat. Tomo secundo ille tribuit reges 96 et annos 2121, hic reges 92 et annos 2121 (sic in *Chron.* emendatius quam apud *Syncell.* ubi 1121 legitur).

48) *Africanus* enim ex tomo primo reges 201 et annos 2288, *Eusebius* ex eodem reges 127 annosqué 1517 numeravit; atque ille ex secundo reges 204 annosque 1711, hic vero ex eodem reges 166 et annos 1725.

post ea, quæ ex tomo tertio excerpta sunt; deinde tanta annorum summa non convenit computationi cycli cynici, ex qua apparet, eum et tomo primo et parte secundi modo historiam annorum 1460 absolvisse; denique totum opus ejus modo 113 generationes sive annos 3390 continuisse videtur. (v. § 10) Quare hæ consummationes ab opere ipsius alienæ esse, Africano vero et Eusebio deberi videntur.

§ 9. *De hodierna librorum Manethonis forma.*

Pergimus ad triste negotium, formam libri hodiernam describere, nam non sine dolore insignes viros opere Manethonis abusos esse cernimus. Gratulamur vero veritati, quod adhuc satis lucis remansit, quo error appareat. Duumviri celeberrimi, jure desperantes peregrinarum relationum cum V. T. convenientiam, nihilo minus chronologias earum clare reddere studuerunt, magis tamen in admirationem figmenti, quam ad æstimationem rerum gestarum. Pro consilio chronographico in numeris annorum hæserunt, et series regum tanquam norma temporum continua deducenda visa est. Quum itaque Manetho multa regum nomina et regnorum annos referret, series inde construenda et computanda erat. Excerpserunt itaque, quæ inveniebant, tam regum nomina quam regna; et quoties aut rei narratæ natura aut numerus regum sat magnus svasissent, substiterunt, et *dynastiam* unam absolutam dixerunt. Sic Pastorum reges, qui inter medios Thebaicos enumerantur, in singulares dynastias collegerunt; quum ad Amenophin, ultimum in dynastia XVIII, perventum esset,

a filio novam dynastiam inchoarunt, quod huic demum res patriæ restituere contigisset. Nec semper ratio in rebus narratis quærenda est; si enim longior videretur series, in medio substiterunt, reliquosque novo dynastiæ numero distinxerunt. Præsertim si in media aliqua dynastia mentio fieret novi imperii ab aliis conditi, cujus historia deinde una narratione absolvebatur, facile accidere potuit, ut chronographi reges illos novi imperii collectos, tanquam singularem dynastiam in media longiori serie collocarent, quæ sic, interrupta est, quamvis una continua esset. Ita factum videtur, ut dynastiæ IVta Memphitarum, Vta Elephantinorum, VIta Memphitarum recenseantur, in quibus facile utraque Memphitarum continua fuerit. Haud aliter dynastiæ Thebæorum XIII, XV, XVI, XVIII, per dynastias Pastorum interruptæ, continuæ cogitandæ sunt, quum ipse Manetho (*Jos.* c. Ap. I, 14.) haud obscure indicaverit, reges Thebæorum tempore Pastorum non regnare desiisse. (Aliud exemplum vide § sq.) Numeris vero et inscriptionibus dynastiæ distingvendæ erant. *Numeros* dedit successio chronologica, sed quum sæpe plures dynastiæ eodem tempore regnarent, ab arbitrio sæpe pependit, quisnam ordo eligeretur. sic quum omnes Hyksos sive Pastores annos modo 511 imperium tenerent, dynastiæ XV, XVI, et XVII Africani simul polluerint, necesse est; [49]) ordo itaque in his arbitrio excerpentis relictus erat;

---

[49]) Hæ tres scilicet Pastorum dynastiæ esse dicuntur, atque una sola ultra 500 annos extenditur.

Eusebius ideo ordinem Africani invertere potuit.[50]) *Nomina* vero ab urbibus semper petita sunt (exceptis dynastiis peregrinorum). Quid vero sibi velint, disputatur. Sunt, qui ea sic neglexerint, ut seriem regum unam ex regibus e quacunque dynastia promiscue petitis composuerint.[51]) Alii stirpem regum indicari censent. Sed primum formula solita: "*Dynastia.... regum Thebæorum*," reges Thebis regnantes describere videtur, et occurrit formula: *reges Memphitarum*, (*Syncell* p. 56.) quæ aliam interpretationem non fert. Observavimus deinde, omnes, quotquot commemorentur, pyramides Memphitis semper tribui, nec regibus ullius alius dynastiæ,[52]) id quod sane mirum fuisset, nisi causa in nomine lateat, scilicet quod hi in regione regnarunt, in qua pyramides maxime exstruebantur. Nec alio fert analogia nominis, quo series Eratosthenis dicta est: scilicet *regum Thebæorum*; qui quum a Syncello regibus Ægyptiorum apponantur, (p. 91 passim ad 147) apparet, (id quod et indoles ipsius catalogi probat) eos tantum Thebis et regioni Thebaicæ imperasse. Denique verba Manethonis argumento nobis sint; nam, qui ab Africano et Eusebio Diospolitæ appellantur, (dyn. XVIII.) iidem a Manethone

---

[50]) Dynastiam apud Africanum XV ille XVII appellavit.

[51]) Sic *Rask* l. l. p. 79 et 80, qui ad dynastiam XVI Thebæorum dictam retulit Nitokrin, quæ dynastiæ VI Memphitarum ab Africano annumeratur, et p. 66 regem dynastiæ XXI Tanitarum inter reges dynastiæ XX Diospolitarum transmisit.

[52]) Rex quartus in dyn. I; rex 2 in dyn. IV; Nitocris regina in dyn. VI.

"reges Thebaici ceteræque Ægypti" (*Jos.* c. Ap. I, 14. p. 1158.) dicuntur, ergo a metropoli sive regno cognomen traxerunt.[53]) Atque omnino patet, non stirpis rationem haberi, quippe quæ in eadem dynastia interdum alia sit; Eusebius enim Saitarum dynastiæ Æthiopem quendam adscripsit. (*Sync.* p. 76. Chron. I, 219. II, p. 25.) Sedes imperii et regnum ergo inscriptionibus indicantur. At inquiat aliquis, reges sæpius uno imperio totam Ægyptum tenuisse, eosdemque ideo a regno nomen habere non posse. Putamus vero, eos in catalogo inter suos mansisse, nomine servato loci, unde ad majus imperium progressi essent. Sic Menes et Sesostris inter Thebæos reperiuntur; et tota dynastia XVIII Thebæorum appellata est, quod ii reges ab initio tantum in Ægypto superiori, Thebis, regnaverant.

Quum chronographi christiani annales Manethonis præsertim ideo lustrarent, ut chronologiam eventuum certam constituerent, nil antiquius habuere quam temporum rationes inire. Regibus per dynastias distinctis, itaque anni collecti sunt; postquam summando spatium regnorum uniuscujusque dynastiæ invenerant,[54]) ex omnibus collectis compone-

---

[53]) Quamvis parum tribuamus Veteri Chronico, commentarium in formulas, quibus Eusebius usus est, forsan præbere potest: dynastia, quæ ab Eusebio, quem presse sequitur, "Pastorum dicitur, qui Memphim quoque cepere," eadem in Chronico V. *Memphitarum* dicta est.

[54]) Annos in fine singularum dynastiarum non a Manethone derivari, probat non solum id, quod de dynastiis omnino monuimus, sed quoque ea res, quod Africanus et Eusebius fere nusquam consentiunt in eis, nec non molestus

bantur summæ, quæ additæ sunt in locis, ubi excerpta e singulis tomis Manethonis desinunt.[55] At quam insana agendi ratio, si dynastiæ non successiones regum monstrant? quis coævos reges, pro diversitate locorum distinctos, deinde continuos habebit, et tanquam continuos sistet, annosque eorum in unam summam colliget? Et tamen tales nobis traduntur annales Manethonis. Crediderit itaque aliquis, reges quoque in opere Manethonis continuos fuisse. Sed sunt, quæ nos specie decipi vetent; etenim non solum translocatio dynastiarum probat, quasdam fuisse coævas; sed ipsi iidem viri erroris se convicerunt. documento est series regum Ægyptiorum, quæ tanquam emendata historia passim a Syncello proposita est, et quæ Eusebio aut Africano aut utrique debetur: hæc autem reges passim e dynastiis extractos continet, ita quidem ut plerumque ordo dynastiarum observetur; sed in eadem reges dynastiæ XXIII ante reges dynastiæ XXII leguntur; (*Sync.* p. 177 et 184.) quod probat, numeros dynastiarum non successionem indicare. Neque Eusebius huic consummationi annorum ullam vim in re chronologica tribuisse videtur, nam opere molesto et inutili demum fatigatus eam omisit: etenim quem-

computationis labor, quo Josephus (c. Ap. I, 15) spatium temporis colligit, quod ab uno integræ dynastiæ spatio repetere potuisset, si Manetho uno numero id indicasset.

[55]) Jam ab initio sensim sensimque post quamcunque dynastiam colliguntur, sed a dyn. VIII hic labor molestus missus est. *Syncello* hos numeros deberi, et convenientia cum singulis numeris et collatio Chronici probant.

admodum Syncellus, qui summam annorum singularum dynastiarum in initio colligere coepit, mox (a dyn. VIII) inutilem hunc laborem missum fecit, sic quoque Eusebius, quum ad tomum tertium Manethonis pervenisset, vanitate operis intellecta, desiit annos colligere, quamvis in postremo tomo potius continuæ fuerint dynastiæ quam in prioribus; sed credere licet, historiam recentiorum seculorum apertius indicasse rationes temporum, ita ut dynastiæ in iis plane non potuerint in una serie componi. Inepta hæc ratio miseram reddidit formam, qua annales Manethonis nobis traduntur: reges non sibi succedentes in unam seriem protracti sunt, annique eorum in unam summam collecti.

Augetur deinde corruptio eo, quod compilatores non eadem diligentia ubique usi sunt. Accedimus enim ad investigandum, an omnium regum nomina in excerpta accepta sint. Apparet vero sic, alium plures, alium pauciores reges accepisse, et annorum numerum convenienter mutari. In fragmento, quod integrum servatum est (*Jos.* c. Ap. I, 14), sex Pastorum reges recensentur, et posteri eorum multi regnasse dicuntur; *Africanus* eosdem sex repetiit, sed *Eusebius* quatuor tantum nuncupavit; neuter tamen negavit, plures in dynastia regnasse; *Vetus Chronicon* vero (Eusebio usum) affirmat, dynastiam solum e quatuor constitisse, numero regum itaque a numero eorum, qui nominabantur, constituto. Idem vero etiam Eusebius et Africanus commiserunt. Etenim Africanus in dyn. V. reges 9, Eusebius reges 31, in dynastia IV ille 8, hic 17, in dyn. IX ille reges

19, hic vero 4 esse dicit, annosque convenienter mox plures mox pauciores eisdem dynastiis adscribunt. Unde itaque patet, eos nec plene reges recensere, nec numerum integrum ubique exhibere. Sæpe accidit, ut numero quidem regum indicato, nullos omnino nominatim recenseant. Fuere, qui hinc suspicati sint, dynastias illas apud Manethonem nominibus regum caruisse.[56]) Sed ille Græcorum et Eusebii mos, eos omittere, qui parum memoria digni viderentur, satis explicat, cur reges in excerptis desint; et accuratius examen docet, nomina regum, qui ad eos referrentur, non defuisse. Conferenda enim est series regum Ægyptiorum. Quæ licet a rege 26 inde dynastiis Africani apprime conveniat, reges tamen a 30 ad 32 itemque a 59 ad 62 novos exhibet; hi vero reperiuntur in locis, ubi dynastiæ XVI, XVII et XX exspectandæ erant; in catalogis vero hæ dynastiæ vacuæ relictæ sunt; quid itaque probabilius, quam hos esse reges a Manethone nominatos, quos compilatores ad has dynastias retulissent? Et unus eorum Concharis, rex 25, disertis verbis rex dynastiæ XVI esse dicitur (*Sync.* p. 103), et tamen hæc dynastia inter eas est, quæ vacuæ relinquuntur. Ergo quod dynastiæ nominibus carent, non Manethonis, sed compilatorum culpa est.

Quæ quum ita sint, recentioribus tribuenda sunt divisio in dynastias, inscriptio earum, consummationes annorum, et nominum regum plurimorum defec-

---

56) *Rask* v. gamle æg. Tidsr. p. 15.

tus.[57]) Ad Manethonem itaque tantum enumeratio regum annorumque et descriptio rerum ab iis gestarum referendæ sunt.

Hæc autem bene tenenda sunt, si rectus fragmentorum usus faciendus est, eisdemque neglectis, fieri nequit, quin scrutator in devia aberret.

§ 10. *De chronologia ex fragmentis operis Manethonis construenda.*

Quantum temporis spatium itaque annales Manethonis comprehendant, certo dici nequit. Effatum quoddam (*Sync.* p. 52), obscurum quamvis, forsan spatium exprimit, quod Manetho ipse annalibus suis contineri putavit: "generationes 113 per dynastias 30 descripsit", ergo annos fere 3390 ante Macedones. Per generationes computabant Ægyptii (*Herod.* 2, 142. *Diodor.* S. I, 51. 53. 62. 63), ideoque nota veritatis interna non deest; quum vero ipsi Ægyptii tempore Herodoti generationes 341 numerarent, dubitare tamen licet, an hæc verba re vera ambitum operis Manethonis describant. Sed, quicquid sit, non multum discrepatur a finibus, quos ex justa computatione ei tribuere possumus. Etenim tam ex eis, quæ supra de oeconomia et forma librorum monuimus, quam collatione historiæ

---

[57]) Manethonem interdum consulto nomina quorundam omisisse, locus a *Josepho* (c. Ap. I, 14) citatus ostendere posset, si verba: "*τούτους βασιλέας καὶ τοὺς ἐξ αὐτῶν γενομένους*" ipsissima verba Manethonis essent; sed ob accuratam priorum enumerationem, potius hæc verba Josephi referentis esse putamus.

peregrinæ patet, totam annorum summam admodum esse minuendam. Possunt quippe dynastiæ quædam plane coævæ haberi, possunt multæ cum ultima antecedentium primaque proximarum parte componi. Tam hinc quam ex eis, quæ de vi inscriptionum dynastiarum monuimus, regula procedit, ut conjungantur reges ab eodem regno dicti, et aut plane continui habeantur, aut majore minoreve alius dynastiæ parte interposita distingvantur. Sic, ut exemplo utamur, possunt reges Heracleotæ (Dyn. IX et X) cum Memphitis (Dyn. VII et VIII) regnasse, defectione ab eisdem facta forsan inter turbas, quæ post Nitocrin Memphide ortæ sunt.[58]) Cogitari possunt libertatem tuiti esse, etiam sub dynastiis XI et XII Thebæorum, donec hi, Sesostri duce, totam Ægyptum occuparunt. Annis colligendis hypothesis firmatur: Heracleotæ (teste Eusebio) annos 285 regibus suis parebant: Sesostris vero a Nitocri, Heracleotis omissis, annis 289 distat. Contrahuntur sic anni 574, qui iis summatim tribuuntur, in dimidiam summam, quum Heracleotæ juxta Memphitos aliquot et Thebæos regnasse putentur. Quid? quod collatio historiæ peregrinæ sic fieri jubet? Pauca sunt momenta, in quibus res Ægyptiorum historiam alienam tangunt, et pauciora adhuc, in quibus aliena historia certiorem chronologiam præbet. Cecropis et Danai sic meminerunt quidem Græci, sed tempus, quo advenere, constitui omnino nequit. Sola recentior historia quædam ad comparationem apta exhibet: Susachim, qui anno 985 a. C. Hierosolymam

[58]) Scilicet 70 vel 7 reges intra dies 70 regnasse dicuntur.

occupavit, in fine dynastiæ XX dictæ positus erat; nam in serie regum 86 postremus inter reges ex hac dynastia assumtos reperitur.[59]) Finis autem dynastiæ XX, ex computo Africani, annis 573 invasionem Persarum antecessit, ipse Susachim ergo fere annis 600.[60]) Jam vero inter Cambysem et Susachim modo anni 460 revera interfuere, ergo computatio Manethonis in brevius contrahenda est. Quoniam series dynastiarum, de qua agitur, hunc in modum comparata est:

	Secundum Africanum		Secundum Eusebium			Secundum Vetus Chronicon	
Dynastia		anni		anni apud *Sync.*	anni in *Chron.*		anni
XX	Diospolitanorum 12	135	Diospolitanorum 12	178	172	Diospolitanorum 8	228
XXI	Tanitarum reges 7	130	Tanitarum reges 7	130	130	Tanitarum 6	121
XXII	Bubastitarum 9	120	Bubastitarum 3	49	49	Tanitarum 3	48
XXIII	Tanitarum 4	89	Tanitarum 3	44	44	Diospolitanorum 2	19
XXIV	Boechoris Saites	6	Boechoris Saites	44	44	Saitarum 3	44
XXV	Æthiopum 3	40	Æthiopum 3	44	44	Æthiopum 3	44
XXVI	Saitarum 9	150	Saitarum 9	168	167	Memphitarum 7	177

59) *Sync.* p. 177 (nam reges 59-62 inter reges dynastiæ XIX et XXI collocati, e dynastia XX vacua petiti sunt).

60) *Eusebius* quidem minorem et regum et annorum numerum constanter exhibet, sed pro eis, quæ de hac re monuimus (p. 40), majores numeri semper præferendi sunt, quum minor numerus omittendo nonnullos ortus videatur.

haud difficile est hoc loco indicare, quid omittendum sit; nam quum dyn. XXI Tanitarum sit, et dyn. XXIII eorundem, suspicari licet, seriem eorum continuam esse; Bubastitas vero interea, defectione facta, aliquamdiu libertate usos esse, ideoque in computatione temporis omittendos esse. Quamquam et regum et annorum numerus in hac dynastia alius est apud Africanum ac apud Eusebium, tamen hoc omittendo consensus oritur. Quum enim hæc series regum rebellium minoris esse videretur, Eusebius tantum tres eorum excerpsit eorumque annos solos collegit; Africanus vero plenius, novem numeravit et annos 120. Nihilominus, annis Bubastitarum demtis, justa temporis mensura in utraque relatione procedit. nam si primum in dynastia XXVI Eusebii rex Æthiops, Africano non minus quam natura rei svadente, cum annis regni 12 omittitur, et deinde in dyn. XXIII quartus Tanita cum annis suis 45 ex auctoritate Africani additur; tum, Bubastitis exclusis, Africanus (in dynast. XXIV et XXV jure emendatus)[61] inter finem dynastiæ XX et Cambysem annos (577—120=) 457 exhibet. Eusebius vero, eisdem Bubastitarum annis exclusis, annos (511—49=) 462; discrepant quidem sic invicem annis quinque; hæc discrepantia vero in dyn. XXVI sola versatur, ubi, quum nomina eadem sint, alteruter in numeris errasse putandus est. Anni autem 457 aut 462 proxime accedunt ad spatium, quod collatio historiæ hebrææ flagitat.

---

[61]) *Rask* d. gl. æg. Tidsregn. p. 80. 72. 73.

Quare dubio caret, Bubastitas esse eos, qui a serie continua ejiciendi sint, nam nullo alio numero sublato, et mutuus consensus et convenientia cum vera chronologia simul restituuntur. Ad has internas rationes accedit, quod dynastia XXIII et in serie regum Ægyptiorum et in Chronico Vetere proxime cum regibus dynastiæ XXI conjuncta reperitur, (*Sync.* p. 177. 184. 52.) necnon quod dynastia XXII post dynastiam XXIII collocata est, unde patet, et Tanitarum dynastiam vix interruptam fuisse, quamvis una interposita sit, et Bubastitas cum Tanitis dyn. XXIII regnasse, siquidem alias non et ante et post eos poni potuissent. Quoniam vero consensus factus est numero dispari tollendo, simul probatur veritas opinionis nostræ de origine et vi dynastiarum,[62]) simulque confirmatur hypothesis de dynastiis quibusdam e serie continua sæpe excludendis et de dynastiis ejusdem denominationis conjungendis.

Patet vero eodem exemplo, catalogos ex annalibus Manethonis extractos aliunde esse collustrandos, ut constet, ubi et quantum contrahi debeat. Soli vero arbitrio vago locum præbent; tamen non nisi in unam partem; nam ultra summas annorum, quos ipsi exhibent, plane extendi nequeunt.

Apparet quoque, catalogum regum Ægyptiorum 86 (*Sync.* passim a p. 91 ad p. 210) consulendum

---

[62]) Si enim, ut alii putant, discordia orta esset exinde, quod alii aliter reges divisissent et alii ad priorem dynastiam traxissent, quos alii ad sequentem referrent, non componi potuisset lis, si dispar numerus subtraheretur.

esse, ut inde reges petantur ad explendas lacunas, quæ ab Africano et Eusebio relictæ sunt. Minime tamen sic omnino expleri possunt, quoniam auctor ejusdem pro chronologia antea composita modo nonnullos accepit, tot scilicet, quot ad supplendum tempus necessarii erant. Sic modo 4 e dynastia XX sumuntur, licet 12 contineret.

Chronicon Vetus autem omnino non respiciendum est, nisi ut inde genuina Eusebii lectio, si opus sit, eruatur. Ratio infra proponetur.

§ 11. *De fide Manethonis.*

Quando in eis, quæ hactenus de Manethone diximus, nondum de fide ejus disputavimus, id ideo factum est, quod judicium justum demum ferri potest, postquam indoles rei judicandæ perspecta est. Fides viri pendet tam a facultate verum cognoscendi, quam a voluntate verum dicendi. *Manethoni*, tanquam Ægyptio domestica monumenta patuisse, eidemque prouti sacerdoti liberrimam omnium copiam fuisse, in confesso est. An vero fuerint, forsan dubitatur. Quum vero tam antiquus esset inter Ægyptios litterarum usus, ut Hermeti deo origo ejus tribueretur; quum perantiquis pyramidibus et statuis Sesostridis, quas adhuc Herodotus vidit, litteræ insculptæ essent, haud mirandum est, annales Ægyptiorum altius ascendere quam cæterorum populorum. Sacerdotum ordo imprimis litteris operam insignem dabat: tam larga erat librorum antiquorum copia, ut plus quam 20,000 librorum ab Hermete conscripta circumferrentur (*Jamblicus*

de myst. Æg. 8. 1), tantaque cura historiæ dicata erat, ut sacerdotes e libro quodam reges 341 *Herodoto* (2, 100) recenserent, qui ante Sethonem regnassent. Et *Diodorus* copiam et antiquitatem fontium, quos sacerdotes possidebant, laudat. [68]) Fontes itaque Manethoni non defuere, eosdem vero magna ex parte rebus, quas narrant, coævos esse, apparet ex minuta regnorum singulorum cognitione: in seculis enim a vicesimo inde non solum anni, sed menses quoque regum indicati erant (*Jos.* c. Ap. 1. 14 et 15); ementiantur regum seriem et annos, ad menses usque historiam ementitam nemo exigit. Putaverit tamen aliquis, tales de antiquissimis seculis relationes propter ipsam hanc diligentiam suspectas esse, et si ad Menem usque eadem fuisset *ἀκρίβεια*, objectioni non deesset species veri. Sed neque id constat, neque, si ita factum fuerit, magnopere nos turbat; etenim a Mene inde historica tempora in Ægypto aderant; ante Menem vero solita phoenomena non desunt: Dii et Semidei per immensa tempora regnasse dicuntur, sed a Mene inde historico modo relationes compositæ sunt.

Manethonem sincero animo scripsisse, nemo negavit, nisi *Josephus*, (c. Ap. 1, 27) ob commemorationem suorum iratior. Simplex et veritatem præ se ferens narrandi ratio, a studio et ira æque aliena, ex paucis, quæ supersunt, fragmentis apparet; reli-

---

[68]) *περί ὧν ἁπάντων* (de regibus domesticis et peregrinis, reginis &c.) *ὁι μεν ἱερεῖς εἶχον ἀναγραφὰς ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις ἐκ παλαιῶν χρόνων τοις διαδόχοις παραδεδομένας* &c. 1, 44.

giosa distinctio eorum, quæ famæ debentur, a certis, (c. Ap. 1, 26 p. 1204), pia rerum consideratio, qualis in sacerdote exspectanda est,[64] et aliquis insignis amor sacrorum[65] fidei ejus adstruunt. Conscius itaque non mentitus est. Fuere vero, quibus dexteritas ejus in utendo fontibus dubia visa sit. *Syncellus* (p. 51) per Chronicon Vetus eum seductum esse suspicatur, et recentiores, eodem Chronico antiquo et serie regum Eratosthenis prælatis, putarunt, eum tam a vero aberrasse, ut quindecim homines, ambiguitate verbi Ægyptiaci cujusdam seductus, totidem dynastias esse crediderit, easdemque nominibus regum undique collectis explere studuisse, donec, nominibus deficientibus, vacuas eas relinquere coactus esset.[66] Sed ne dicam, quam improbabile sit, Manethonem Ægyptium nomine Ægyptiaco seductum esse, omnia, quæ de dynastiis non a Manethone profectis dicta sunt, adversantur; nec omnino in cæteris fontibus ratio ulla est, cur Manetho documentis inepte usus putetur; ut vero fundamentum totius sententiæ evertamus, indolem Chronici Veteris et laterculi Eratosthenis examinabimus.

---

[64]) c. Ap. I, 14. de invasione Pastorum: erat nobis rex, Timaus nomine, sub quo, nescio cur, numen nobis infestum erat &c.

[65]) Imprimis enim moratur in describenda crudelitate, qua res sacræ profanatæ sunt c. Ap. 1, 26.

[66]) *Rask* d. gl. æg. Tider p. 4. 15: "hvoraf det synes, som om han selv havde været i Forlegenhed for at udfylde dem, eftersom de første femten Slægter ved at gøres til Kongehuse istedenfor enkelte Regjenter, så at sige, slugte altfor mange Navne, så at der tilsidst ingen flere fandtes at anføre."

§ 12. *De Chronico Vetere.*

Chronicon Vetus præter nomen nulla habet vetustatis documenta. In chronico *Eusebii* et in fragmentis *Africani* frustra quæsivimus usum aut mentionem ejus. *Syncellus* demum ejus meminit verbis, quæ non auctoritati ejus adstruant.[67] Ipse tamen antiquum esse credidit, quippe qui Manethonem eo in errorem inductum suspicetur. Quum autem huic testimonio in re critica nulla sit vis, ab internis indiciis in silentio antiquorum pendebit judicium. Si titulus operis fuerit *chronicon*, hoc nomen græcæ originis et recentioris usus non antiquitatem operis commendat. Adest deinde regum divisio in 30 dynastias, Herodoto, Manethoni et adhuc Diodoro ignota. Porro in Chronico Vetere manifesta est ars, qua, Diodoro (1, 26) teste, nonnulli inter sacerdotes Ægyptios utebantur, ne nimii annorum numeri fidem sibi destruerent, et, qua etiam christiani quidam uti conati sunt. Vetus Chronicon nimirum octo semideis annos 217 tribuit, violata jam sic convenientia traditorum, nam semideis brevia humana æva haud conveniunt. Iidem vero a Manethone 2568 annos regnasse dicuntur; Africanus hos menses esse suspicatus, annos 214 effecit;[68] auctor chronici itaque, numero simili (2588) invento, eadem arte usus videtur. Chronicon vetus deinde regibus 15, cynico cyclo annumeratis, annos 443 tribuit; quum vero cynico cyclo a Manethone 16 primæ

---

[67]) *φέρεται Αἰγυπτίοις παλαιόν τι χρονογραφεῖον.* p. 51.

[68]) Quamobrem haud immerito a *Syncello* castigatur p. 18.

dynastiæ annumerentur, et ipse annos 1460 comprehendere videatur (§ 8), unde hic exiguus numerus? Conati sumus penetrare in rationem, quæ ei cum annis ab Africano et Eusebio allatis intercedat: sic invenimus, summam annorum, qui 15 primis dynastiis ab Africano tribuantur, æquare 2652, ex summis Eusebii vero effici 2663;[69]) quodsi hi numeri per 6 dividuntur, exit accurate 443; videtur itaque auctor indulsisse opinioni, annos primum menstruos, tum bimestres fuisse.[70]) Invertitur itaque relatio; non Manetho chronico seductus est, sed chronicon Manethonem corrigere studuit.[71]) Ars autem eadem aperte seriora tempora prodit, et nescio, unde laus antiquitatis Chronici repetatur.[72])

Origo vero Chronici Veteris latet; et quoniam omnibus externis indiciis destituimur, ad interna confugiendum est; ex his itaque hypothesin construere conabimur. Si ob ea, quæ de arte in computando et silentio Africani atque Eusebii monuimus, haud improbabile sit, Chronicon Vetus ad recentiora tempora referendum esse, penitius examen et

---

[69]) Si enim ad auctoritatem codicis Syncello inspecti in Dyn. VI anni 3 et in dyn. XIV 184 legitur.

[70]) Excogitabantur enim anni menstrui, bimestres, trimestres, quadrimestres et semestres, ut ad spatium antea compositum contraherentur. cf. § 52 et *Rask* d. ældste hebr. Tidsr. p. 60.

[71]) Quoniam Manetho 16 dynastias in cyclo cynico posuit, hic non ex Chronico nomen traxisse potest, contra auctor Chronici unam negligere potuit dynastiam, ut ars applicata sibi constaret. v. p. 52.

[72]) *Rask* d. gl. ægypt. Tidsr. p. 91. 96.

comparatio cum Chronico Eusebii originem ejus nobis pandere videtur. Quemadmodum summa annorum, quam Eusebius ex opere Manethonis collegerat, numero Chronici 443 originem dedisse visa est; sic quoque in aliis nominibus auctor chronici proxime ad Eusebium accedit: nam in numeris et regum et annorum, qui singulis dynastiis tribuuntur, sæpius cum Eusebio,[73]) ne semel quidem cum Africano conspirat; deinde dynastias 15 priores in unum colligit, et a dynastia XVI demum singulas dynastias recenset. Sic quoque Eusebius in Canone temporum (Chron. tom. 2 p. 63), collationem dynastiarum cum chronologia Sacra a dynastia XVI auspicatur, initio a nativitate Abrahami facto. Eusebius itaque quindecim dynastias priores neglexerat, quippe quæ nullo modo cum chronologia Sacra conjungi posse viderentur. etenim quum christianis persvasum esset, Menem esse Misraimum, qui demum post dispersionem populorum tempore Phalegi in Ægyptum coloniam deduxisset, breve inter Phalegum et Abrahamum spatium omnino a spatio 15 dynastiarum discrepare visum est.[74]) Quod autem Eusebius intactum reliquerat, alius addere conatus

[73]) In dynastia XVI in alio regum numero et titulo eadem est summa annorum; in dyn. XVII idem est numerus regum, et tempus fere idem (104 et 106); in dyn. XVIII eadem est annorum summa; in dyn. XIX est perfectus in omnibus consensus &c.

[74]) Abrahamus cum nulla alia dynastia quam XVI conferri potuit, quod hæc demum ab Amose, sub quo Moses exiisse putabatur, totidem annis distabat ac Abrahamus a Mose.

est; imbutus opinione chronographorum christianorum, omnia intra fines computationis biblicæ contrahenda esse, a priori persvasum habuit, annos, qui dynastiis 15 prioribus tribuerentur, spatio inter Misraimum et Abrahamum congruere. Et re vera ex computo patrum ecclesiasticorum hoc spatium annos fere totidem continet ac Chronicon V. cynico cyclo suo dedit. Invenitur quidem nulla distincta ejus spatii computatio ab Eusebio instituta, quum autem Abrahamum anno mundi 3182 natum censeret (Chron. p. 135), et Phalegum, cujus tempore Misraim Babylone discessisset, inter annum 2643 et 2982 vixisse crederet, dispersio gentium, quæ ante annum 130 Phalegi poneretur necesse erat, inter annum 2643 et 2773 accidisse putanda fuit. [75]) Sic quum auctor Chronici V. invenisset, annos 2663 dynastias 15 primis tribui, intellexit, concordiam restitui; si numerus hic per 6 divideretur, discessu Misraimi ad annum mundi 2739 sive Phalegi 96 simul relato. Nam ita $\frac{2663}{6} = 443\frac{5}{6}$ et $3182 - 2739 = 443$. Quum vero hoc breve temporis spatium dynastiis 15 omnino non congruere videretur, auctor nomine cycli cynici sic usus est, ut omnes ejusdem dynastias pro una haberet, totidemque viros regnasse crederet, ac dynastiæ regnassent. Circumscripsit vero simul ambitum cycli cynici, ut tantum 15, nec 16, dynastias eo contineri putaret, quippe cum Eusebius dynastiam XVI in canonem tanquam veram

---

[75]) *Syncellus* eam anno 2776 accidisse (p. 89) refert, quare spatium inter eandem et Abrahamum annos 426 æquat. ille enim Abrahamum anno 3202 natum esse affirmat.

seriem regum recepisset. Quæ quum ita sint, Chronicon V. conamen nobis esse videtur, quo doctus quidam christianus ea componere voluerit, quæ ab Eusebio neglecta vidisset.

Ubi vero ad XVI dyn. pervenerat, non opus visum est nova adferre nec multa mutare, id quod et ipse Eusebius vetare videbatur. Ducente Eusebio, itaque cætera absolvit; interdum tamen et ordine dynastiarum et numero regum in eis ab Eusebio discrepat; sive quod Manethonem consuluerit, sive quod proprio marte emendare voluerit. Aliquis tamen ex hoc opere usus peti potest; nam suo exemplo docet, dynastias a locis appellari,[76]) numerum regum et summam annorum in singulis dynastiis a diligentia excerpentis pendere,[77]) nec non Bubastitas (Dyn. XXII) seriem Tanitarum haud interrupisse, id quod et antea (§. 10) alia ratione probavimus.

Sic Chronicon Vetus nec cum Manethone nec cum excerptis Africani et Eusebii ullo modo æquiparandum est, quum et recentioris originis sit, et artem præ se ferat fidei sublestæ signum.

---

[76]) Dynastiam XVII Eusebii, quæ Pastorum est, Dyn. Memphitarum appellat, quippe qui Memphim cepissent (supra § 10). Non aliam intelligi dynastiam, probat non tam numerus ejus, quam concordia numeri regum et annorum.

[77]) In dyn. XX Chronicon reges 6 et annos 121 exhibet; Africanus et Eusebius reges 7 annosque 130, et re vera unus eorum annos 9 regnavit; hunc itaque in excerpendo auctor Chron. V. neglexit. sic oritur discrepantia.

§ 18. *De cæteris historiæ Ægyptiacæ fontibus.*

Qui Chronicon Vetus commendant, solent quoque ad *seriem regum* sive *laterculum Eratosthenis*[78]) provocare.[79]) Thebis ex lingva Ægyptia descriptus dicitur, et titulum gerit catalogi regum Thebæorum. Recensentur a *Syncello* nomina primorum 38, sequebantur vero 53, quos Syncello omittere placuit (p. 147). Exceptis duobus primis nominibus (Menes et Atheus), cætera plane a Manethone discrepant. Quoniam primis 15 accurate anni 443 tribuuntur, creditur, auctorem Chronici V. hos 15 in cyclo cynico posuisse (*Rask* æg. Tidsr. p. 16, 17). Utrum sic acciderit, an non, haud dixerim; sed quum omnino naturæ conveniat, 15 reges fere tot annos regnare, consensus facile ex casu repetitur, et aliam hujus numeri originem, nobis magis probandam, supra exposuimus. Si vero ab hacce regum serie quicquam contra fidem Manethonis elicitur, negligunt, disparata sic comparari. Nam Erotosthenes solos Thebæos reges descripsit; Manetho vero ab initio non Thebæorum, sed Memphitarum reges maxime commemoravit; Thebæorum reges demum a dynastia XI, post quam Sesostris erat, enumerantur. Jam vero admodum probabile est, Thebæos, Meni et successori ejus adhuc obsequutos, postea a Memphitis defecisse et suis legibus usos esse;[80]) reges eorum ergo a tempore

---

78) *Syncell.* ex opere *Apollodori* p. 91-147.

79) *Marsham* eam filum Ariadneum per anfractus temporum ducens appellat p. 311.

80) *Perizonius* jam mouet, Menem in tribus regum seriebus

defectionis alii fuere quam reges Memphitarum; Manetho vero maxime in historia Ægypti inferioris describenda versatur, et aut consulto aut ignarus reges Ægypti superioris omisit. Tot vero nominatim afferuntur, ut apte serie continua a Mene ad dynastiam XI regnasse putentur; scilicet 38 regibus anni 1075 tribuuntur; et cæteri 53, non nomine dicti, cogitari possunt iidem esse, qui in dynastiis XI ad XIII Manethonis inveniuntur.[81] Quum nomina eorum non tradantur, nec alia nec eadem esse certo dici possunt.[82] Quamobrem, series *Eratosthenis* supplementum nobis videtur, quod cum annalibus Manethonis conjungendum est, quippe qui res Thebæorum antiquas non singulatim exposuisse videantur. Quoniam vero eadem nil nobis adhibendum offerat, accuratior ejus crisis non heic persequenda est; *Eratosthenes* vero, Manethoni ætate paulo inferior, hac ipsa ratione, quod annales Manethonis hoc nomine mancas esse intellexit, motus videtur, ut seriem regum Thebæorum adjiceret.

Duumviri Græci, *Chaeremon* et *Lysimachus*,[83])

---

ideo nominari, quod regnum ejus in plures partes divideretur. Orig. Æg. p. 71.

[81]) Sic non opus omnino videtur confugere ad hypothesin, alios esse Thebæos reges, alios Diospolitas; est sane urbs Diospolis minor dicta, a Thebis diversa, immo et tertia erat Diospolis in Delta, sed idem regnum tamen usque intelligendum est. *Periz.* Orig. Æg. p. 91.

[82]) Verba *Syncelli* p. 147, se sequentes omittere, quod nec priores ullam utilitatem præbuissent, non probant quicquam de relatione, quæ eis cum regibus a Manethone allatis intercessit.

[83]) Jos. c. Ap. 1, 32 et 34.

res Ægyptiorum quoque descripserant; sed modo unum fragmentum operis utriusque superest; quod utrumque quum in essentialibus Manethoni conveniat, et brevius sit, quam ut indoles historiæ eorum inde perspici possit, potius in loco, ubi eo utemur, examinabitur.

De *serie regum Ægyptiorum* 86 a *Syncello* tanquam vera historia proposita (a. p. 91 passim ad p. 210) difficile est certi quicquam dicere. Utrum a Syncello confecta sit, an aliunde petita, non liquet: tamen, quum nec ubique computationi ipsius Syncelli conveniat,[84]) et semper juxta seriem regum Thebæorum aliunde aperte petitam (p. 147) producatur, non ipse eam composuisse videtur.[85]) Africanum itaque auctorem esse, suspicamur. Lex vero, qua composita est, manifesta est: Ægyptus dudum uni regi parebat, ergo et antea unam seriem regum habuisse putabatur; quum vero regnum ante annum mundi 2776 (annum Phalegi) non conditum esse posset, intra hunc et annum Persarum series regum contrahenda visa est. A tempore dynastiæ XVIII non difficile videbatur negotium; plerique Manethonis reges recipi potuere; sed ante id tempus paucissimis supererat locus. Ex dynastia I solus Menes acceptus est; e XII duo, e XV (Africani) quatuor, e XVIII omnes sedecim et sic porro. No-

---

[84]) *Susachim* p. 177 ab anno mundi 4478 ad annum 4512 rex fuisse dicitur; sed p. 187 Hierosolyma ab eo expugnata dicitur anno 4514.

[85]) Aliter *Marsham*, qui p. 6 Georgium auctorem esse affirmat.

mina vero nobis ignota exhibentur, quoties pervenitur ad dynastias, quarum reges in fragmentis Manethonis omissi sunt; sic reges 30–32 inter reges a dyn. XV et XVIII petitos; nam dynastiæ XVI et XVII vacuæ sunt. Item reges quatuor 59–62 novi sunt, quod dynastia XX nominibus caret. (unde vero reges 49–52 petiti sint, solummodo ignoramus). Quum itaque hæc sit indoles hujus catalogi, apparet, nullum alium usum ejusdem esse, quam ut aliqua regum nomina inde peti possint ad explendas dynastias, quæ in excerptis e Manethone nominibus vacant.

§ 14. *Continuatio. Herodotus et Diodorus.*

In commercio Judæorum cum Ægyptiis eruendo negligendus non est historicus, cujus fides, sæpius infestata, indies augetur. Quum vero idem *Herodotus* pauca nobis ministret, pauca quoque de eo dicemus. Disertam Hebræorum in Ægypto versantium mentionem non fecit, et, ubi, ut videtur, de iis locutus est, non miranda est brevitas, quum sacerdotes ea tempora tam detestarentur, ut vix et ne vix quidem reges istos nominare vellent (2, 128). Quum tamen seriem regum composuerit, dispiciendum nobis est, quisnam usus chronologicus ejusdem faciendus sit.

Ipse aperte duas partes distingvit; ab initio scilicet (§ 100 ad 142) reges 341 una tractat, narrationem claudens verbis: "a primo rege ad Vulcani sacerdotem (Sethonem) reges 341 ab Ægyptiis nominari," atque a § 147 ad finem de cæteris agit. In posteriori parte Herodotus regna et res gestas

ordine continuo narrat; (a dodecarchia ad Persas annos 145 efficiens) in priori vero non temporum rationem habuit. Etenim quum regum multitudo 341 æquaret, 330 omisit (2, 100–102), quo facto, historiam regum 11 a Sesostride exorsus absolvit. At hi post illos 330 regnasse dici videntur, et omnes tanquam continui collocantur Mirum sane foret, si vere 11 postremi soli et omnes æque mentione digni fuissent, et mirum, si iidem totum spatium a Moeride ad dodecarchiam explerent. Ipse enim Herodotus Moeridem fere 900 annos ante sua tempora regnasse, dicit (2, 13), et dodecarchiam fere duo secula ante eadem posuerit, necesse est. Septem itaque secula regibus 11 dantur, et tamen ipse tertiam seculi partem regi in universum esse credidit (2, 142). Quæ quum ita sint, non putandum est, Herodotum ipsum hos reges continuos haberi velle, sed ex toto numero hos solos commemoraturus eos in unum locum congessit.[85]) Cogitamus itaque, Herodotum omnes reges 341 considerantem eos numerasse, de quibus aliquid narrandum haberet; qui quum 11 essent, eis detractis, se 330 omittere, professus est. Illos itaque undecim e medio omnium elegit, et continuo quidem sermone res ab eis gestas narravit, sed non ipsos continuos fuisse credidit.

---

[85]) Explicantur sic alia: 2, 101. Moerim ultimum ex regibus omissis esse dicit (*πλην ἕνος τῦ ἐσχάτȣ αὐτῶν Μοίριος*) et immediate cum Sesostride jungit, (102) quamquam *Diodoro* teste, (1, 53) generationes 7 interfuere. Verba vero illa non aliud sibi volunt, quam quod ipse eum in postremo loco commemoraturus est, quasi "unum Moerim, de quo tanquam ultimo (ɔ: post eos) dicemus."

Exorsus a Sesostride, cæteros post eum regnasse, dicit; qui quum seculo 14to vixisse feratur, ante seculum hoc nil nobis exspectandum esse videtur. Sed quum duo vel plures fuerint nomine et factis similes, tempus a Sethosi, (in dyn. XIX) res vero a Sesostride (in dyn. XII) mutuatus nobis videtur; quamobrem etiam tempora ante Sethosim per relationes Herodoti collustrari possunt. Locus, in quo reges et res in priori parte historiæ ab Herodoto ponuntur, itaque non considerandus est,[86]) nec ullus est ejusdem usus chronologicus, res vero narratæ omni fide dignæ habendæ sunt.

Diodorus idem putari jubet; nam Herodotum corrigere et chronologiam restituere studens sæpius inter reges apud Herodotum continuos longa tempora intercedere tradit:[87]) ubi vero ad eos reges pervenit, de quibus nobis solum agendum est, Herodotum presse secutus est, deficientibus forsan fontibus certis, et reges ad seculum fere octavum referre videtur, quos in seculo 15to regnasse putamus; addita tamen, tanquam *aliorum*, traditione, opera eorum, ergo et ipsos, longe altius in ordine rerum poni (1, 63 p. 187 ed. Bipont.). Et quum excerpta e Manethone, in illis seculis satis plena, nulla similia no-

---

[86]) Formulæ, quæ a § 102 ad 142 occurrunt: ὁ ἐπὶ τουτοῖσιν γενόμενος βασιλεὺς, τοῦτο ἐκδέξασθαι βασιλήιαν, μετα τῦτον etc., itaque sensu latiori intelligendæ sunt, et fere nil aliud sibi volunt, quam narrationem ad alium transire.

[87]) 1, 53, 62 et alibi Sesostrim a bello Trojano spatio multorum seculorum, 5 generationum et regnorum trium regum removit (59–62).

mina exhibeant, non Ægyptios testes habuit, quando eos in recentiori ævo collocare videtur, sed, ut putare licet, loco regum in catalogo Herodoti deceptus est. Res vero de iisdem narratæ plane cum relatione Herodoti conveniunt, quapropter eadem fide dignæ habentur.

Quibus ita dictis, absolvimus quæ nobis necessaria visa sunt ad defendendum eum historiæ babylonicæ et Ægyptiacæ usum, quem in fatis Judæorum antiquissimis enarrandis paramus.

Historia Judæorum.

§ 15. *Facies rerum in Asia tempore, quo historia Judæorum incipit.*

Historia omnium populorum de diluvio aliquo tradit, quod totam terram texerit totumque genus humanum, paucis superstitibus, exstinxerit. Jam dudum intellectum est, non unum ab omnibus commemorari, sed sæpius magnas inundationes in diversis locis accidisse. Incolis regionis alicujus tantum non omnibus tali calamitate submersis, pauci, qui supererant, se solos videntes, posteris suis tradidere, genus humanum per ipsos esse restitutum. Sic populi Asiæ superioris omnes de diluvio magno vetustæ memoriæ tradunt; atque ab hocce eventu historiam rerum suarum auspicantur. In Armeniæ montibus aliquot servati feruntur; ad quos a planitie Babylonica aliquis navigio vectus evasisse dicitur.[88])

[88]) Sic in magno de nomine viri aut dissensu aut silentio omnes consentiunt, quendam navi vectum ad cæteros ad montes delatum esse. *Berosus* in *Josephi* Antiq. Jud. 1, 3, 6. *Nic. Damascenus* ibid. *Abydenus* in Præp. *Euseb.* IX, 12. *Melo* ibid 19.

Eventum historicum in hacce narratione latere, dubitari nequit. Hunc enim virum, quum non sine numinis præsenti auxilio ereptus videretur, tanta religione diu colebant Armenii, ut reliquias navigii pro amuletis gestarent. Et sic factum est, ut hujus viri celebritas cæterorum, qui servati sunt, memoriam absorberet, ipseque unus restitutor generis humani haberetur. Quam ob rem Judæi, ex istis regionibus profecti, laborabant et suam et cæterorum populorum originem a Noacho deducere. (Gen. 10).

Connectit quidem hebræa traditio Abrahamum spatio decem generationum cum Noacho. Sed et multitudo populorum, qui tempore Abrahami distinguuntur, et ratio historiæ Babylonicæ habita eum multo longius a tempore diluvii removeri jubent. Post diluvium enim urbs condita est, et regnum florebat dudum, ubi et ante diluvium viguerat. Fata regni ac tempora et traditione Hebræorum et annalibus Babyloniorum cognoscenda sunt. Hebræa vero traditio genealogiis solis contenta longorum temporum historiam prætermisit; servata sunt paucissima fragmenta historica in cap. 11 et 10: nimirum coeptum esse in valle Sinear urbem et turrim ædificare, Nimrodum ibidem magna potentia valuisse, et Niniven recentioris quam Babylonem originis esse. Illa christiani chronographi conjungunt, affirmantes, Belum, quem regni Babylonis auctorem ferunt, sibi esse Nimrodum;[89]) eisque traditio Orientalis assentitur, quæ ad nostra usque tempora rudera celsissimæ tur-

[89]) Syncell. p. 90 ὁ παῤ ἡμῖν Νεμβρώδ.

ris nomine Nimrodi appellat.[90]) Sed ipsa S. S. repugnat: nam originem urbis sine mentione Nimrodi describit c. 11, et Nimrodo tantum magnam potestatem in eadem tribuit; deinde Nimrodum Cuschitam, ɔ: Arabem,[91]) appellat, colonos Babylonis vero ab Oriente venisse narrat. (c. 11, 2).

Tantum vero consensu Hebræorum et Babyloniorum constat, primam post diluvium urbem in valle Sinear conditam esse. Noachitas eam condidisse, narrat S. S.; quum vero pro opinione, Noachitas solos esse superstites, nihil non ad eos referre debuerit, temere non huic relationi assentire licet. Tradit autem et ipsa (11, 2), colonos ab Oriente venisse, quum vallem Sinear intrarent; verum enim vero Noachitæ, qui de montibus Ararat descendebant, non ab Oriente in Babyloniam venire potuere. Dixerit aliquis, eos primum in Bactriam vel Persiam digressos esse, atque inde in Babyloniam ab Oriente intrasse.[92]) Sed S. S. non solum nullam facit hujus itineris mentionem, sed excludit iter omne, quum suffixum in verbo בְּנָסְעָם initium capitis 11 immediate cum proximis eventibus ɔ: cum exitu ex

[90]) Teste *Herbeloto*, (p. 159) appellantur Eski Nimrod; teste *Porter*, Anglo, qui anno 1818 rudera ipse inspexit, Birs Nimrod. Dubitari tamen potest, eadem esse rudera, quum hic de ruderibus ab Euphrate Occidentem versus duo milliaria nostra distantibus; Herbelot vero de ruderibus in palude inter Euphratem et Tigrim sitis locutus sit. *Heerens* Ideen, Zusätze 1 Th. 229 sqq.

[91]) *Michaelis* Spicileg. Geogr. Ext. Hebr. 1, 43 *Boeharth* G. S. IV, 2.

[92]) *Hohlenberg* Comment. de cap. 10 Geneseos p. 17.

arca conjungi jubeat. Porro et hoc verbum בְּנָסְעָם longa itinera indicat, et verbum מִקֶּדֶם longinqui Orientis notionem involvit; nam si modo, mutato itinere, gressus Occidentem versus direxissent, non operæ pretium fuisset monere, eos ab Oriente in vallem Sinear intrasse. Quæ quum ita sint, aut alia latet de situ Ararat montis et salutis loco opinio, aut alia adest de colonis Babylonis traditio. Quum vero et Hebræi et omnes Asiatæ constanter montes Armeniæ fugientibus saluti fuisse ferant, manet altera dilemmatis pars, et statuendum est, traditionem tulisse, auctores Babylonis ab Oriente venisse; id quod Hebræi non aliter reddere potuerunt, quam si dicerent, Noachitas ab Oriente profectos in Babyloniam venisse. Et *Indicam* Babylonis originem alia quoque commendant. nam si Ægyptus et Bactria ab Indis incolas et mores acceperunt,[93]) verosimile est, idem regioni interjacenti contigisse. Perantiquus astronomiæ inter Babylonios cultus etiam studia Indorum magis quam religionem Noachitarum prodit. Quid? quod traditio ipsorum Babyloniorum commemorat Oannem quendam, qui ex Oceano ad se accesserit et mores feros doctrina molliverit; nec solum adventus per mare, sed et institutio, quam dedit, Indum eum esse probant.[94]) Aliam esse Ba-

---

[93]) Inter historicos ita constat. cfr. *Schlosser* Allg. W. p. 165 et 179.

[94]) *Berosus*, teste *Alexandro Polyh.* in *Syncello* p. 28 sqq. Erat dimidius piscis, interdiu emergens docuit, noctu vero in æquore se abdidit. Docuit, universitatem rerum quondam tenebris et aquis obrutam fuisse, tum mon-

bylonis originem, Ægyptii quidem perhibent. Bellum scilicet coloniam suorum eo deduxisse, gloriantur (*Diodor* I, 28, 81); sed quemadmodum hæc traditio non aliud fundamentum habet quam vanitatem Ægyptiorum et opinionem, quod ipsi prima gens essent, sic quoque ostendit, quomodo gens, hac opinione imbuta suis tribuere possit, quod alieni patrarunt; et puritati traditionum Hebræorum acceptum referimus, quod extremum veri vestigium non deletum est. — Quum vero homines ex diversis regionibus Babylonem confluerent et per mercaturam ab omnibus orbis finibus adducerentur, nec lingvarum, quæ dicitur, confusio, nec missio operis, pro more Indorum colossei, miranda sunt. Civitas vero per multa secula florebat, quamquam sæpe, ut vallibus fertilibus accidere solet, barbaris et monticolis succubuit. Chaldæi, gens monticola, qui sæpius postea Babyloniæ potiti sunt, mox adfuisse videri possent; nam in catalogo regum primorum post diluvium Chaldæi recensentur; [95]) tamen quum *Sycellus* hoc nomine etiam Babylonios dicere soleat, et *Eusebius*, eodem fonte consulto, nullam Chaldæorum mentionem fecerit, dubium est, an Polyhistor, quem laudant, vere Chaldæos eos dixerit. At quicunque fuerint, ante Medorum invasionem reges 86 imperaverant, quum Medi, duce Zoroastro, Babyloniam occuparunt; hi eam per annos 223 tenu-

strosa corpora nata esse, et perfectiora demum ex ruina eorum prodiisse.

[95]) *Syncel.* p. 78 et 90 ex *Polyhistore* cfr. *Euseb. Chron.* I, p. 40, ubi relatio *Polyhistoris* accuratius citatur.

erunt; tum, libertate recuperata, reges 11 regnarunt, quorum anni non certo constant; Chaldæi deinde regionem invaserunt, eamque, regnantibus regibus 49, per annos 458 tenuere, donec ab Arabibus imperio pulsi sunt, qui demum post annos 215 Nino Assyrio cesserunt.[96]) Atque eo tempore demum historia Hebræorum initium capit. Quamquam vero sic spatium temporis inter Ninum et diluvium annis plus quam 2000 augetur, nil omnino de tempore illo constat, nisi quod ex jejunis regum et annorum numeris colligi potest. Frustra phantasiæ coloribus faciem rerum in Asia tempore illo accuratius depingere laboramus; tantum constat, populos jam dudum separatos fuisse, et Babylonios, Medos, Chaldæos et Arabes invicem se oppressisse.

Inter hos populos et ille erat, a quo Hebræi originem trahunt; a Chaldæis enim, quum Babyloniam incolebant, quidam digressi populum Judaicum condidere.

---

96) Sic *Alex. Polyh.* ex *Beroso* in Chron. *Euseb.* I, p. 40 cfr. *Niebuhr* kl. Schrift. p. 191-193.

Cap. I.

De colonia in Palæstinam deducta.

§ 16. *De gente colonorum.*

Raro in rebus humanis accidit, ut gens conditorem suum tam certe monstrare possit quam Hebræi. Quemadmodum Æneas romanam condidit gentem, sic a paucis patria egressis initia populus Hebræorum habuit. Abrahamus scilicet paucos colonos ducens in Palæstinam secessit, et tanta erat auctoritas viri, ut omnes eorum posteri eum patrem dictitarent ejusque genealogiam suam facerent.

Abrahamum et cum eo stirpem Judæorum primam e Chaldæis provenisse, docent et S. S. et traditio Judæorum. Reperitur genealogia Abrahami in Gen. 11, 10-22, cujus initium quoque in c. 10, 22-26 adest. Est communis indoles genealogiis antiquorum, ut, per seriem virorum singulorum ascendentes, in populum desinant, ita tamen ut populus viri unius nomine denotetur, pro ea antiquorum et imprimis Hebræorum opinione, singulos populos ab uno gentis auctore proficisci, uti totum genus a Noacho. Docuit jam dudum sana crisis, in genealogia Genes. 10. in multis nominibus non tam singulos viros intelligi quam integros populos. Sic nomen Semi intelligendum est, ut nomen populorum, qui pro sententia Judæorum ad unam classem generis humani

tripartiti pertinerent. Inter filios Semi recensentur nomina Elamitarum, Assyriorum et Aramæorum, qui aperte populi sunt; inter eosdem etiam adest is, a quo Abrahami stirps deducitur, scilicet *Arphakschad* (Gen. 10, 22). Hujus nomine *Chaldæos* designari, apparet; nam litteræ radicales verbi כַּשְׂדִּים omnino reperiuntur; et nomen Chaldæorum, quæ gens ut Hebræis notissima est, sic mox in ipsa Genesi commemoratur, in nullo alio nomine latere potest, et tamen in recensu gentium deesse nequit. Eadem quoque est Judæorum interpretatio. *Josephus* [98]) enim diserte tradit, nomen Chaldæorum ab eo proficisci, h. e. Judæos indicare Chaldæos, ubi stirpem Arphakschadi nominent. Alia quidem est verbi explicatio, ex qua fuerit nomen viri inde derivandum, quod in confiniis Chaldæorum habitasset nec ipse e Chaldæis fuisset; (*Michaelis* Spicil G. E. H. 2. p. 75) sed hæc interpretatio ut longius petita est, sic potissime eo vitio laborat, quod, ubi Chaldæi nondum nominati erant, ab eorum vicinia nomen peti non potuit. Nec magis probanda videtur sententia eorum, qui statuunt, Chaldæos a Chasedo, filio Nachoris, oriri; (*Bochartus*, *Hieronymus et al.*) nam Chaldæorum mentio fit in historia Babylonis diu ante tempora Abrahami et Nachoris. Nec solum genealogia Abrahami in S. S. reperta originem Hebræorum a Chaldæis deducit, sed etiam traditio diserta Hebræorum ferebat, ipsos ex Chaldæis oriundos esse: in libro *Judithæ*

---

[98]) Archæol. 1, 6, 4 *τὸς νῦν χαλδαίες καλεμένες Ἀρφαξαδαίες ὠνόμασεν ἄρξας αὐτῶν.*

5, 6 [99]) et in opere *Josephi*, ubi calumniæ Apionis occurrit, qui omnes Judæos ab Ægyptiis descendere affirmaverat. [100])

Ab exteris quidem aliæ de genere Judæorum sententiæ feruntur. *Apion*, relatione Manethonis motus, eos Ægyptios esse, dixerat, (*Jos.* c. Ap. 1, 27. 30) et *Diodorus* (Bibl. Hist. 1, 28) idem ex circumcisionis ritu conjecit. Qvoniam vero ipsa historia Ægyptiorum non docet, eos, qui expellerentur, omnes Ægyptios fuisse, nec ritus circumcisionis originem gentis alicujus probat, illa opinio omni historico fundamento carere videtur. Alia opinio fert, Judæos ab Indis oriri; *Clearchus* Solensis [1]) Aristotelem magistrum suum de Judæo homine loquentem producit et affirmantem, Judæos a Calanis Indiæ philosophis originem trahere. Sed auctor horum verborum, mere philosophus et historiam negligens, internas rationes secutus videtur, et quum Judæos omnes, uti Chaldæos post Cyrum, philosophos esse putaret, eosque more Græcorum cum Brahmanis, Magis, Ægyptiisque conferret, facile propter similitudinem eorum cum Indicis Philosophis, credere potuit, eos inde genus derivare. Sed miramur usum nominis Calanorum, quum Brah-

---

[99]) *ὁ λαὸς οὗτος εἰσιν ἀπόγονοι χαλδαίων.*

[100]) Ap. 1, 13 *τοῦ γένους ἡμῶν ἀρχηγοὶ καθεστήκασι (οἱ χαλδαῖοι).*

[1]) In opere de somno ap. *Euseb.* Præp. IX, 5 et plenius in *Josephi* c. Ap. 1, 22 *οὗτοι εἰσιν ἀπόγονοι τῶν ἐν Ἰνδοῖς φιλοσόφων. καλοῦνται δέ, ὥς φασιν, οἱ φιλόσοφοι παρὰ μὲν Ἰνδοῖς Καλανοί, παρὰ δὲ Σύροις Ιουδαῖοι, τοὔνομα λαβόντες ἀπὸ τοῦ τόπου.*

manorum nomen non Græcos lateret, nisi auctor similitudinem quæsivisset cum nomine Chaldæorum, Chaldorum, Chalybum, e quibus Judæos descendere audivisset. [2])

§ 17. *De sedibus Chaldæorum, quum coloni patria egressi sunt.*

Maneat itaque, Abrahamum esse e Chaldæis totamque gentem Hebræorum esse coloniam Chaldæorum. Quando et quomodo itaque e Chaldæis egressi sunt? Quum Chaldæi patriam sæpius mutarent, ratio loci, in quo habitabant, quum colonia Abrahami discessit, ad tempus constituendum ducere potest. *Ura Chaldæorum* Abrahamus in Palæstinam profectus est. De Ura vero multum disputatur. Quamvis interpretes alexandrini constanter χώραν χαλδάιων reddant, et S. S. Uram urbem esse diserte non dixerit, non tamen dubitandum est, urbem intelligi. Nam Alexandrini ea ratione ducti videntur, quod אוּרִים Hebræis valles, et ergo ex adjuncto regiones, aut tractus boreales significat; et S. S., quæ בְּאֶרֶץ מוֹלַדְתּוֹ et בְּאוּר־כַּשְׂדִּים tanquam universaliorem et accuratiorem loci definitionem conjungit, [3]) Uram a terra distingvere vi-

---

[2]) Adest quoque nomen Chalanæ in interp. Alexandr. ad Or. Jesaiæ 10, 9 et additur: ubi turris ædificata est. Nisi mero philologico errore hæc interpretatio nititur, (quod placuit *Bocharto* Phaleg. p. 36) vere aliqua traditio sedem primorum hominum Chalanæ fuisse tulerit; quum vero Chalanæ in Babylonia sita sit, non extra fines Babyloniæ origo Judæorum hoc nomine removetur.

[3]) Ea enim est vis præpositionis repetitæ, ut membra non per appositionem conjuncta putanda sint.

detur. Et antiqui omnes uno ore tradunt, Uram esse urbem. *Eupolemus* auctor est, Græcos interpretari *χαλδαιόπολιν*, et ipse narrat, Abrahamum habitasse in urbe Camarina, quam nonnulli Urien appellent (*Euseb.* Præp. IX, 17). *Iosephus* eam urbem Chaldæorum nominat et tanto majori fide dignus est, quod ipse urbem cognovit addiditque, sepulcrum Harani ad suam usque memoriam ibidem monstrari (Antiq. 1, 6, 6). Situs urbis vero majori cum difficultate eruitur. Fuit, qui eam ad mare Caspicum sitam putaverit, (*Michaelis* Spicil. G. E. H. II. p. 104.) sed testimonia historicorum et geographorum alio ducunt. Ipsa S. S. ad terram Sinear eam referre videtur, quum scena rerum in initio cap. 11 ibi sit, atque Hebræi in fine ejusdem capitis, nulla migrationis mentione facta, Uræ Chaldæorum versari dicantur (11, 28). Attamen quum initium capitis, quo agitur de occupatione orbis terrarum, a fine ejusdem, qui tempora historica attingit, immenso intervallo distare putandum sit, nulla probatio huic argumento inest, sed tantum apparet sententia referentis [4]). *Eupolemus* vero, (l. l.) eam Babylonis urbem esse, tradit; quum vero Babyloniæ nomen tam late pateat, ut planitiem a sinu Persico usque ad Lycum (s. Zab) fluvium comprehendat, [5]) nondum situs Uræ inde accurate colligi potest.

---

[4]) Plus justo huic rationi tribuit *Norberg* in dissert. de Chaldæis septentrionalis originis (in Opusc. Academ. 1819 vol. 3 p. 156).

[5]) *Volney* chronologie des Babyloniens p. 154 not.

Iosephus (l. c.) Uram a Mesopotamia distingvit; alia vero traditio Judaica eam ad Mesopotamiam referre videtur Act. Ap. 7, 2. 4. (ubi χώρα χαλδαίων ad modum Alexandrinorum pro Ura dicitur). Quam ob rem aut sententiæ sibi plane adversantur, aut Ura sic sita fuit, ut et ad Mesopotamiam referri et ab eadem excludi posset. Jam vero Mesopotamiæ nomen et arctius constringitur et latissime extenditur, ita ut tam regionem solam inter Tigridem atque Euphratem quam eam infra confluxum eorum usque ad Sinum Persicum simul contineat (*Bochart* p. 78). Sic una regio est, quæ, ad Babyloniam semper referenda, a Mesopotamia mox excludi, mox ad eandem referri possit, nimirum planities extra flumina usque ad persicum sinum. Si nomen Uræ sectamur, Geographia antiquorum duobus in locis urbes habet, quæ pro Ura Chaldæorum habitæ fuerunt. *Ammianus Marcellinus* (25, 8.) mentionem fecit Uræ, castelli, a Nisibi non procul distantis; quæ a *Bocharto, Cellario, Gesenio* aliisque Ura Sacræ S. esse putatur. Sed castellum erat, nec mentio urbis fit, et tamen tempore Josephi adhuc urbs fuit; et omnino non intelligitur, quomodo hæc Ura aut ad Babyloniam referri possit, utpote ultra Lycum fluvium sita, aut a Mesopotamia separari, utpote inter Tigridem et Euphratem sita. Sed alia Ura adest, cujus in situm omnia congruunt. In eisdem Babylonis agris *Ptolomæus* (Geogr. 5, 20) non solum regionem Euphrati a meridie adjacentem Auranitem dicit (quasi אור latine pronunciatum), sed etiam in ea Babyloniæ parte, quam et *Strabo* (Geogr. 16, 1, 8)

Chaldæam appellat, urbem commemorat Urchoam, quod pro more Græcorum bene pro Ura dictum esse potest. Et *Plinius* (Hist. natur 5, 24) ibidem Uræ loci mentionem fecit, siti, ubi Euphrates versus Orientem abit. Hanc esse Uram Chaldæorum, non solum loci cum Mesopotamia et Babylonia ratio probat, sed quoque illud *Nicolai Damasceni* testimonium, Abrahamum Damascum venisse ex terra Chaldæorum *ultra Babylonem* (*Eus.* IX, 16). In ea parte Babyloniæ ergo sita erat, quæ Euphrate et Arabiæ montibus cingitur. Ibi ergo Chaldæi habitabant, quum Abrahamus ab eis discessit *).

Chaldæi vero peregrina gens erant, nec semper in Babylonia sedes habuerant. Patria eorum in montibus Armeniæ fuisse putatur, ubi a *Strabone*, (12, 3. 18.) a *Mose Chorenensi*, (Hist. Arm. 2, 73.) a *Stephano Byzantino* (in nomine χαλδία, quæ χώρα τῆς Αρμε-

*) Fuere quidem, qui putaverint, Chaldæos non Uræ Chaldæorum tunc habitasse, urbem vero nomen traxisse aut a confinio Chaldæorum, aut inde, quod postea Chaldæi ibidem habitarent, ideoque in Gen. per πρόληψιν Chaldæorum dici (*Michaelis*, *Bochartus* II, 4, *Gesenius* Jesaias ad 23, 13 p. 747). Sed cum simplex verborum interpretatio, tum traditio et *Judæorum et aliorum* statuere jubent, Chaldæos ibi habitasse tempore Abrahami. *Josephus* enim promiscue terram Chaldæorum, Chaldæos et Uram dicit (v. c. Ant. 1, 6, 5); *Berosus* tradit, Abrahamum inter Chaldæos vixisse, (παρὰ χαλδαίοις Ant. 1, 7, 2) et *Nicolaus Damascenus*, eum e terra Chaldæorum venisse (Præp. IX, 16). Et difficultas, quæ illam opinionem genuit, tolletur per annales Babylonios penitius inspiciendos, quum hi non solum in seculo 8vo a Chr., sed dudum antea Chaldæos adfuisse ostendant.

νιας appellatur) et *Zenophonte* (Anabasis V, 5.) commemorantur, nomine et loco nonnunquam mutatis. Inde, seculo 8vo ante Christum, in Babyloniam venisse dicuntur, ubi sive anno 747, duce Nabonassaro, (*Gesenius* l. c., *Schlözer* über die Chaldäer, *Michaelis* Spicil. l. l.) sive seculo 7mo, duce Nabopalassaro, summa rerum potiti sunt. Sunt tamen, qui dubitent, an re vera, peregrini dicendi sint. nam rationes haud vilipendendæ probare videntur, eos ab initio Babyloniam inhabitasse, et fluctuant sententiæ doctorum. Etenim ab una parte in annalibus tam *Herodoti* quam *Berosi* ne levissima quidem invasionis ullius mentio fit, et apud hunc, *Josephum* omnesque chronographos veteres Chaldæi ante Cyrum a Babyloniis nusquam distinguuntur, [7]) adeo ut Chaldæi tanquam antiquissimi et indigenæ agri Babylonici incolæ sisti videantur. Ab altera parte vero relationes rebus coævæ, eos tanquam gentem novam a finibus orbis recens progressam describunt; (Jer. 6, 22. 10, 22. Jes. 23, 13.) vestigia lingvæ non Semiticæ, quæ nominibus insunt, originem peregrinam ostendunt; et jam in antiquissimis catalogis regum inter peregrinos, qui armis Babyloniam occuparunt, Chaldæi recensentur; adeo ut et seculo 8vo et antiquissimis temporibus tanquam diversi ab incolis Babyloniæ commemorari videantur. Quæ omnia aliter conci-

---

[7]) *Berosus*, historiam Babylonis conscribens, chaldaicam scripsisse dicitur (v. c. *Eus.* Præp. 1, p. 69). Aliud vero est, quod postea nomen Chaldæorum solis sacerdotibus tributum est.

liari nequeunt, ac si, præeunte *Gesenio*, (Jesaias l. l.) statuitur, Chaldæos sæpius in Babyloniam invasisse, et toties cum Babyloniis coaluisse, id quod gentibus feris, ubi cultos populos vincunt, accidere solet. Ita enim reges eorum inter peregrinos recenseri possunt; ita ea res, quod nova cohors potestatem seculo octavo arripuit, non tanti momenti fuit, ut silentium historiæ multum offendat; ita denique intelligitur, quomodo historici ultimæ invasioni posteriores, nomen Chaldæorum Babyloniis in universum dare potuerint.

Quæ quum ita sint, nobis videndum est, quando ii Chaldæi in Babyloniam intraverint, e quibus coloni Hebræi progressi sunt. Inter reges 86, qui ante Medos regnarunt, nulli Chaldæi fuisse videntur; confusionis enim est, quod Syncellus duos primos Chaldæos cæterosque Medos nuncupavit; *) et præterea, quum per Chaldæos ille Babylonios intelligat, non aliud indicare videtur, quam quod Berosus dicit, reges istos Babylone imperasse et Babylonios fuisse. Postquam vero duæ dynastiæ, quarum prior peregrina fuit, interierant, Chaldæi tanta cum vi irruperunt, ut per annos 458 summam rerum tenerent. Sic Chaldæi Uram occuparunt, et Babyloniam novam sibi patriam fecere. Quum hæc sit prima Chaldæorum invasio, de qua aliquid certi constet, quum omnia, ut infra pa-

*) *Niebuhr* l. l. p. 193; quum enim *Sync.* reges 86 immediate cum dynastia Arabum conjunxisset, nomina Chaldæorum et Medorum ex dynastiis, quas prætermisit, petiisse videtur. cf. § 15. p. 65.

tebit, ad eandem designandam conveniant, non dubitamus affirmare, inter hos Chaldæos accessisse etiam eos, e quibus Abrahamus et coloni, quos duxit, originem traxerint.

§ 18. *De tempore, quo coloni a Chaldæis discesserunt.*

Quodsi rationem temporum inire placet, ab occupatione Babylonis per Ninum possumus exire. Postquam penes Chaldæos per annos 458 imperium fuerat, ad Arabes transiit, qui annos 215 *) dominabantur; hos Ninus vicit; Chaldæi ergo annos 673 ante Ninum venerunt; quodsi Ninus medio seculo 14 ante æram nostram Babylonem cepit, (v. p. 26) Chaldæi ergo in Babylonia habitabant a seculo vicesimo primo inde. Abrahami itaque discessus post hoc tempus acciderit, necesse est. Lato spatio vero ita relicto, quæritur, utrum in initio, an sub finem dominii suorum, an post id e Babylonia egressus sit. Nolumus heic antecapere ea, quæ de exitu ex Ægypto infra exponemus, unde patebit, Abrahamum seculo 16 vixisse; conabimur vero, duce historia Babylonica et ipsius Abrahami, tempus eruere.

Primum genealogiam Abrahami biblicam considerabimus. Natura fert, ut populus, patria relicta novisque sedibus occupatis, domesticas relationes oblivioni tradat; in nova patria novæ gentes con-

*) Codex *Eus.* armen 1, 40 habet 245, codex *Syncelli* vero 215 p. 90 et 92, id quod ob constantiam præferendum videtur.

duntur; si magni viri postea nascuntur, proximos suos avos recensere valent, sed stirps in terra, quam patres reliquerunt, latet; quum tamen genealogia sine principio esse nequeat, populum pro avo nominabunt, et si gens unum virum conditorem suum celebret, hunc pro ultimo membro in genealogia ponent. Sic inter Scandinavos plurimæ gentes inclytæ a communi principio ordiuntur; deficientibus enim nominibus virorum, Odinum avum ferunt, fatentes quasi, se membra plura nescire, stirpem vero ex populo, qui Odino duce regiones boreales occuparet, proficisci. Haud secius Skjold Dani nepos fertur; etenim, historia de parentibus ejus tacente, tanquam rex Danorum ab eo, quem populus nominis auctorem celebravit, non potuit non descendere; Dani nomen genealogiæ præfixum non aliud sibi vult, quam Skjoldum imperio et genere Danum fuisse.

Idem in genealogia Abrahami accidit. Leguntur nomina 9,[10]) quorum primum locum tenet gentis, cujus pater ille putabatur. Cætera vero viros singulos innuere videntur. Etenim hæc particula cap. 10 non ita cum reliquo capite componenda est, ut gentes enumerari putentur; discedit enim in eo, quod in personas historicas desinit, quum reliquæ genealogiæ sive a personis sive a populis exorsæ in populos desinant. Deinde formula יָלַד et continuus usus numeri singularis, sermonem

---

10) Arphakschad, Schelach, Eber, Pheleg, Reuh, Serug, Nachor, Tarach, Abraham.

de singulis hominibus esse, monstrant, id quod et natura rei et usus ipsius auctoris poscunt; etenim v. 8., ubi a populo ad unum virum oratio transit, verbum יָלַד et singularis numerus usurpantur; alibi vero constanter generationes vocabulo בְּנֵי conjunguntur.[11]) Probat porro mala nominum cum rebus, quæ eis adjunguntur, convenientia, illa non propter has conficta esse. Quemadmodum scilicet Arabes nomen Jud in stemmate eodem pro Hebero posuerunt, ut nomen Judæorum ab eo deduceretur, sic credi posset, nomina Heberi et Phalegi inventa esse, ut esset, a quo nomen Hebræorum oriri, et ad quem dispersio gentium referri posset. (*Gesenius* Gesch. der hebr. Spr. p. 11.) Sed, quæ non omnia explicat, hypothesis labat; si duo nomina sic orta fuissent, unde cætera petita essent? et ipsa illa non possunt inde orta putari, quippe quæ male rebus conveniant; etenim nec Heber nomini Hebræorum originem dare potuit, nec dici potest, Phalegum tempore dispersionis vixisse, quum jam ante eum Assyrii, Elamitæ aliique distingvantur; Heber itaque, si nomen ex arbitrio fictum esset, proxime ante Abrahamum, et Phaleg inter proximos Noachi filios reponendus fuisset. E contrario si nomina per traditionem oblata putantur, facili negotio explicatur, quomodo traditio posterior aut auctor Ge-

---

[11]) Quod v. 13 et 15 formula יָלַד occurrit, non turbat, nam in loco illo cum nomine singularis numeri non jungitur, in hoc vero, ubi urbs una populo opponitur, notio singuli non deest.

neseos recentior annotationes illas, ut videbatur, a natura rei profectas, nominibus adjungere potuerit. Scilicet haud secus nomina alia v. c. Isaci et filiorum Jacobi, pro significatione cujuscunque materiem fingendi præbuerunt. Traditio itaque hæc nomina tanquam virorum exhibuit. Ne tamen hoc judicium eo usque extendatur, ut etiam Arphakschad vir historicus esse putetur, prohibet id, quod ille inter populos relatus per formulam בְּנֵי cum Semo conjunctus est. —Per octo generationes itaque genealogia Abrahami ascendit; post octavam historiæ lux deficit; et nomen Arphakschadi præfixum est, ut monstret, octavum illum ex gente Chaldæorum oriundum esse. Quodsi octo illa membra vel ab invasione populi inde serie continua procedere censentur, sequitur, Abrahamum demum 200 annos post eandem natum esse. Quoniam vero res primis ab invasione temporibus turbulenter actæ putandæ sunt, tempus aliquod ab invasione elapsum esse credimus, antequam generationes continuæ ostendi potuerint; probabile ergo est, Schelachum, qui octavus reperitur, aliquam diu post invasionem vixisse. Immo si Schelachus cum primis e patria Chaldæorum venisset, in genealogia potius e Chaldæa profectus quam Arphakschadi filius dictus fuisset. Ubi Schelachus vero ita ab invasione seculi spatio removetur, Abrahamus tertio seculo aut post tertium natus putandus est. Tenendum porro est, genealogiam brevius dare spatium, quam forsan fuerit; nam facile fieri potuit, ut membra quædam e genealogia gentis nondum inclytæ interierint. Quare spatium inter invasionem

Chaldæorum et Abrahamum natum adhuc, si opus sit, in longius produci potest.[12])

Ad certiora vero ducit subita Nimrodi mentio in Gen. 10, 9. 10 facta. Quum Hebræa traditio hujus unius regis meminerit, credendum est, eum aliquo modo Hebræorum avos tangere et ante imperasse, quam Hebræi e Babylonia discederent. Quin immo tanti momenti esse visus est, ut auctor ethnographiæ sibi temperare non potuerit, quin in stemmate Arabum, unde oriundus erat, eum commemoraret, quamvis tanquam rex Babyloniæ ad alium locum referendus, et tanquam vir nullius gentis conditor pro consilio auctoris omnino non nominandus fuisset. Adeoque, ethnographia relicta, auctor in historiam delapsus etiam alia addidit, quæ cum gestis Nimrodi cohærere putanda sunt: etenim, quamvis Assurum in suo loco commemoraturus, jam mox

---

12) Sunt vere, qui genealogiam adhuc duobus nominibus augeant. *Interpretes Alexandrini* et *Arabes* inter Arphakschadum et Schelachum Cainam, atque hi inter Tarachum et Abrahamum quoque Azarum addunt. Quamvis nullus locus aptior sit, quo nova nomina inserantur, quam locus proximus ab Arphakschado, et quamvis per Azarum addendum apparens contradictio inter Gen. 11, 32 et 12, 4, quam Rabbinos exercuit, tollatur, optimeque convenientiæ in genealogia consulatur, si anni duorum generationum in ætate Tarachi 11, 26 conjuncti putantur; tamen non est, cur lectio textus Hebræi, per codicem Samaritanum confirmata, recentiori et levi traditioni posthabeatur. Etenim ipsa nova nomina a pia cura, ut hæ difficultates explanarentur repeti possunt. Id tamen saltem testantur, genealogiam Abrahami ne Judæis quidem plenam visam fuisse.

subjungit, ex eadem terra exiisse auctorem imperii Assyriorum, acsi dixisset, per arma Nimrodi factum esse, ut profugi Niniven conderent. At quis itaque est ille Nimrodus, qui et in rebus Hebræis et in rebus Assyriorum tantas partes sustinuerit? Conditor Babylonis, repugnante adeo Gen. 11, 2, non est. Cuschitam eum nuncupant; fuit ergo Arabs. (§ 15) Arabes vero post Chaldæos Babyloniam occuparunt, et sex eorum reges fuisse dicuntur. Quinque eorum a *Syncello* (p. 92) nominantur, secundo tantum omisso. Nimrodi nomen inter hos desideratur; contra ille primus a diluvio Babylonis rex fertur. (p. 90) At non ita retulerunt Babylonii; chronographus christianus, loco Gen. 10, 9 abusus, proprio marte Evechoum, quem Babylonii primum regem fuisse tradebant, cum Nimrodo contulit, id quod etiam prodidit verbis additis: Evechous ὁ παρ' ἡμῖν Νεμβρώδ. Cur vero regem secundum dynastiæ Arabum silentio prætermisit? ignorantiam prætendere non licet, nam et cæteros 5 novit et annos ipsius regis, quem omisit. responsum vero in promtu est: Nimrodus bis poni non potuit; et si vel secundus in dynastia Arabum repertus fuisset, id christianum chronographum non turbavit; tantummodo nescivit, quemnam ei sufficeret, et locum vacuum reliquit.[13]) ea enim est indoles chronographiæ christianorum, ut arbi-

[13]) Licet sane non multi faciamus traditiones Orientalium, tamen non tacendum est, quod Nimrodo sibi vindicato *secundum* locum in secunda dynastia tribuunt. *Herbelot* p. 668.

trarie omnia ad consensum cum historia Mosaica torqueant; *Syncellus* ideo dubius hærere nequiit, ubi Nimrodum poneret, securus, si vel diserta relatio rejicienda esset.[14]) Et mentio originis Ninives egregie fidem facit, Nimrodum fuisse inter eos Arabes, qui proxime ante Assyrios Babyloniam tenerent: etenim re vera haud diu post illorum Arabum in Babyloniam invasionem accidisse videtur, ut imperium Assyriacum conderetur; nam Ninus, qui Arabes post annos 215 superavit, non primus, sed sextus in dynastia sua rex dicitur;[15]) quodsi Niniviticum imperium fere ab invasione Arabum initium habuit, optime secundo Arabum regi congruit, quod auctor Geneseos nomini Nimrodi addidit, "(tum) ex ea terra exiisse Assurum." Armis Arabum pulsi itaque multi Babyloniam reliquerunt, et quum Hebræi nomen Nimrodi Arabis secum in Palæstinam tulerint, ipsi inter eos fuisse videntur, qui e sedibus avitis, Nimrodo urgente, emigrarunt.

Nimrodus vero secundus dynastiæ Arabum rex medio fere seculo 16 ante æram nostram imperavit, (v. p. 26) eodem ergo tempore accidit, ut Abrahamus discederet.

Hæc disputantibus obviam nobis venit diserta Arabum traditio, Abrahamum a Nimrodo ob reli-

---

14) Ubicunque excerpta e libris aliorum referuntur, non idem dominatur arbitrium; sed ubi series regum tanquam vera historia componitur, misere historia mutilari solet; et ita in l. n.

15) *Abydenus* in Chron. Eus. I, p. 78.

gionem multum vexatum fuisse.[16]) Quamvis Arabes Abrahamum omni modo ideoque et confessoris honore extollere gestiant, iidemque omnia impia in nomen Nimrodi congerere soleant, id tamen hinc patet, Arabes Abrahamum et Nimrodum coævos putasse nec nostro judicio a vero aberrarunt. Ipsa autem Babylonica historia, quæ nos hactenus duxit, his plane repugnare videtur. *Berosus* enim, teste Josepho, (Arch. I, 7, 2.) de Abrahamo tanquam in decima post diluvium generatione vivente, nomine quidem suppresso, verba fecerat. Etiamsi Josepho credimus, Berosum cogitasse de Abrahamo, magna tamen difficultate locus laborat. Nam Berosus a diluvio non per generationes, sed per saros, neros et sosos computavit, (*Syncel.* p. 78.) et duobus primis regibus annos 2400 et 2700 tribuit; quid ergo per generationes intellexerit, difficile est dictu. Biblica vero genealogia Abrahamum accurate in decima generatione collocavit; quare manifestum est, Berosum in his narrandis non ex solitis fontibus hausisse, sed ea ex traditione Hebræorum addidisse, quum forsan noluisset honorem Abrahami inclyti populo suo subtrahere. Similis est traditio *Eupolemi*, (ex *Alex. Polyhist.* in Præp. *Eus.*, IX, 17.) Abrahamum in generatione decima natum esse; idem vero quum in eodem loco eum generatione 13 vixisse narret, fidem sibi ipse subducit.

---

[16]) *Herbelot* in nom. Nembrod et Abraham.

§ 19. *De causa migrationis.*

Ratio, quæ colonos ad patriam relinquendam perduxit, in proclivi est. Taracho, patri Abrahami, placuit Ura Chaldæorum exire; suos secum duxit, et dicitur in Palæstinam proficisci voluisse Gen. 2, 31. In itinere vero, consilio mutato, Charris substitit, et modo pars coloniæ, Abrahamo duce, reliquum iter absolvit. Cur autem Tarachus suos Ura Chaldæorum duxerit, S. S. non indicavit. *Josephus* (Ant. I, 6. 4.) suggerit, Taracho mortem Harani filii lugenti invisam fuisse terram, in qua defunctus esset, ideoque aliam quæsitam esse. Sed, quum hæc mera opinio Josephi sit, consulemus historiam peregrinam, quæ aliam ministrat conjecturam: suorum scilicet potestate per Arabes fracta, peregrinis dominis, forsan superbis, obedire noluit; unus ex opulentis nomadibus fuisse videtur, et eam ob rem oppressioni propior. E patria sede itaque gentem, familiam et opes ad loca, ubi Arabum potestas nondum valeret, educere decrevit. Commercio inter Phoenices et Babylonios Cananæa terra celebris erat, pascuis ista terra late patebat, et via non ignota erat. Euphratem secutus itaque iter instituit, breviori via neglecta, ne pascua et aqua usquam deessent. Tandem ad regiones Charrarum perventum est, et credere licet, eum ibi substitisse, quum jam finibus potestatis Arabum se excessisse observaret, motum forsan etiam eo, quod alii profugi in Assyria consederunt. At Nimrodus arma latius protulit; nam etiamsi non *Bocharto* (p. 229) aliisque assentiamur, qui Gen. 10, 11 ita interpretantur, ut

ipse Nimrodus, Babylonia capta, in Assyriam cum exercitu profectus dicatur, (p. 229) tamen in verbis Geneseos 10, 10 est,[17]) eum urbibus in terra Sinear nōn contentum ulterius imperium propagasse. Urgente itaque denuo Nimrodo, Abrahamus Charris abire constituit, et Lothum nepotem suosque in Palæstinam duxit. Etiam Abrahamo singularem rationem tribuit *Josephus* (Ant. 1, 7, 1.), scilicet quod religione a Chaldæis dissensisset, eosque ad meliorem frugem reducere frustra conatus esset. Auctor Geneseos pro pia rerum contemplatione et consilio suo peculiari itineris unicam rationem a jussu divino repetiit, recte sane conjiciens, non sine numine Dei præsente migrationem, tantarum rerum initium, accidisse.

§ 20. *De accessu coloniæ ad Palæstinam.*

Colonia a Tharacho Charras deducta numerosa non fuisse putanda est, sed quum pars ejusdem in Palæstinam profecta fere numerum 1000 hominum expleret,[18]) ipsa forsan 2000 homines effecit; sed si 2000 e terra nomadibus referta discedunt, res non tanti momenti est, ut mentio ejus in historia populi exspectari possit. Contra si colonia 1000 hominum, insigni viro ducente, ad terram aliquam immigrat, potius adventus mentio exspectari potest. Sic quo-

---

[17]) Legitur: initium imperii ejus erat Babylon et Erek et Acad et Calne.

[18]) Abrahamus famulos armis idoneos 318 habuit, ergo forsan 600-700 homines duxit; et ad hos accedit familia Lothi.

que historia Chaldaica de exitu horum Chaldæorum silet, sed in novis terris vestigia adventus eorum monstrantur. Est locus haud procul Damasco, qui habitaculum Abrahami dicitur.[19] Et *Nicolaus Damascenus* (*Jos.* Ant. 1, 7. 2.) in loco ubi non historiam Judæorum scribit, tradit, Abrahamum regnasse Damasci, cum exercitu e terra Chaldæorum profectum, donec in Cananæam abiisset. Apparet vero, hæc non a traditione Judaica petita esse, quum nec Damascus in itinere advenarum commemoretur, nec ullus Judæus narrasset, Abrahamum cum exercitu venisse et regnasse, quod plane ab indole narrationum Hebræorum de Abrahamo abhorret. Idem vero quum apprime ingenio antiquorum conveniat, quippe qui neminem virum magnum esse putarent, nisi urbes et populos armis superasset, ostendit, famam inter Damascenos tulisse, Abrahamum virum magnum in itinere inter ipsos habitasse. Confirmatur hæc traditio per ipsam S. S., quippe quæ obscure indicet, Abrahamum Damascum visitasse; nam in colonia ab Abrahamo ducta Damasceni cujusdam mentio fit Gen. 15, 2. Colligere simul licet, Damascenos aliquot Abrahamum abeuntem secutos esse, quorum unus insigni loco ab eodem positus est.

Cananæi nomen dederunt colonis, in quo latet historicum de adventu testimonium. Appellabantur *Hebræi* ɔ: transeuphratenses sive Euphratem transgressi. Disputatur quidem, an hæc sit vis nominis, nam et genealogista in Gen. 10, 21. et *Josephus*

---

19) *Jos.* Ant. 1, 7. 2. κώμη Ἀβράμου οἴκησις λεγομένη.

(Arch. 1, 6, 4.) multique recentiores[20]) ab Ebero, nepote Arphakschadi, derivarunt. Id autem ita intelligi potest, ut aut vere historica traditione nomen ab Ebero profectum dicatur, aut ipse Eberus a Judæis fictus putetur, ne deesset, a quo nomen suum repeterent. hoc supra ex genealogia Abrahami reprobavimus; (§ 18) quominus vero historico modo nomen ab Ebero proficisci putetur, primum obstat, quod ab Ebero plures gentes descendebant, quam Hebræi Gen. 11, 17. 10, 25.[21]) Deinde usus inter Hebræos probat, nomen non patronymicum vel genealogicum esse; nam, si nomen ab avo posteris impositum est, hi eodem utentur inter se ad stirpem suam indicandam, quemadmodum Israelitas et filios Abrahami se dictitabant; sed nomen Hebræorum semper politico sensu occurrit, ut populus aliis populis opponatur;[22]) et ipsi Hebræi nomine utuntur de se, nonnisi cum peregrinis loquentes. Denique ne ipsi quidem aliam nominis originem ignorarunt; nam et interpretes Alexandrini et Aquila reddunt עִבְרִי περάτης transgressus, ubi primum hæc appellatio occurrit. Jam vero non difficile est, originem

---

[20]) v. c. *Bochart* 2, 14. *Hezel* Geschichte der hebr. Sprache p. 7. *Ewald* critische Grammat. der hebr. Spr. p. 3. 4.

[21]) Quando *Bochartus* hoc impedimentum removet monendo, non nisi Abrahamitas linguam *hebræam* servasse, neglexisse videtur, quod linguæ notio nomini non inerat ante tempora exilii, quum eatenus lingva omnino non hebræa diceretur.

[22]) 1 Sam. 13, 3. 7. excipiendum non nobis videtur, quum continua adsit oppositio contra hostes. (*Ges.* Gesch. d. h. Sp. p. 10.)

derivationis ab Ebero ex altera explicare, inverti autem res nequit. Nam quum et Judæi et alii antiqui semper nomina populorum ab aliquo viro deducere gestirent, putabatur quoque, nomen Hebræorum ab avo quodam repetendum esse. Quemadmodum sic ignari linguæ hebrææ hoc ex nomine Abrahami explicarunt;[23]) ita Hebræi, quum nomen Eberi in genealogia Abrahami deprehenderent, facillime eodem studio ducti affirmarunt, nomen suum ab eo profectum esse.

At nomen a Cananæis impositum esse, diximus; id enim docent tam primus nominis usus, quam posterior ejus ad angustiores fines limitatio. Ubi enim prima vice occurrit, Cananæus, si non loquens, tamen cogitans prodit; Gen. 14, 13. narratur, unum, qui fuga salutem quæsivisset, nuntiasse Abrahamo *Hebræo*, Lothum cæterosque abductos esse; hoc vero cognomen non ab ingenio auctoris proficisci potest, nam Abrahamus sæpissime antea nominatus erat lectoribusque notissimus, nec opus fuisset monere, Abrahamum peregrinum fuisse in terra Cananæa, historiâ ejus quippe antea narratâ; sed per κοινωνίαν, quam dicunt, cogitata nuntii sua fecit, acsi narrasset: nuntiavit Abrahamo, qui ipsi erat Hebræus vel quem Hebræum dicebat.[24]) Et, tempore labente,

---

[23]) *Artapanus* in Præp. *Eus.* IX, 18. *Charax* apud *Stephan.* B. *Augustinus* quæst. in Gen. 1, 24.

[24]) Non uti *Ewaldo* p 3 not. 4, sic nobis mirum videtur, Cananæos colonos Hebræos dixisse, quamvis et plures coloniæ Euphratem transierint; nam forsan aliæ non ad Cananæos venerunt; et potuerunt quoque aliquam, maximam

appellationis ambitus sic restrictus est, ut modo eam partem colonorum contineret, quæ in finibus Cananæorum manebat; nec Ismaelitæ, nec Ammonitæ, nec Moabitæ, quamvis ex stirpe Hebræorum dicti, unquam Hebræi appellabantur; hæsit igitur nomen Palæstinæ adfixum, ibidem ergo et originem et usum habuit.[25])

§ 21. *De incolis Palæstinæ.*

Quum fata colonorum plus quam uno nomine a conditione et moribus eorum, ad quos deducuntur, pendeant, necesse est, ut brevem de Cananæis faciamus sermonem. Incolæ Palæstinæ domi *Cananæi*, Græcis *Phoenices* dicti, in conspectu gentium Gen. 10 Arabibus Ægyptiisque et Afris affines collocantur, et quidam eorum ex Ægypto exiisse dicuntur. Quum vero illa gentium compositio vagis indiciis, mox vicinia locorum, mox similitudine morum, mox reliquiis historiæ migrationum nitatur (cfr. *Hohlenberg* l. c. p. 64-67), criseos historicæ est, indagare rationes, quibus auctor in singulis ductus fuerit. Quum Cananæi et lingva et moribus multum ab Ægyptiis et Arabibus differrent;[26]) vicinia locorum auctorem movisse videtur, ut Cananæos, qui aramæa dialecto

omnium, κατ' ἐξοχὴν Hebræos appellare, uti Magyari appellati sunt Ungari, quamvis non soli peregrini essent.

[25]) Ne mireris, quod nomen quoque inter Ægyptios usurpatur Gen. 39, 14. 40, 15; nam sermo est de iis, qui in Palæstina habitabant.

[26]) Per frequens commercium tamen et lingvæ aliquantum miscebantur, (v. *Hug* de lingva Æg. in *Ersch.* et *Gruber* Encycl. d. W. 2 Th. p. 35. 36) et mores imitatione interdum accipiebantur v. § 26.

utebantur, cum Chamitis conjungeret; neque historica quædam vestigia defuere, quæ simul eum ducere possent. Etenim Phoenices a sinu Persico Oceanove ad mare Mediterraneum profecti putantur,[27]) et Arabes tradunt, eos ex ipsis exiisse (*Michaelis* Spicileg. G. E. H. I, p. 169), ideoque quum littora maris semper secuti fuisse censendi sint, par est, statuere, eos Arabiam totam circumivisse et sic in Palæstinam intrasse.[28]) Explicatur ita et similitudo, quam eorum dialectus cum Arabica contraxit, et collatio eorum cum Cuschitis in stemmate Chamitarum. Nec minus intelligitur, cur cum Ægyptiis componantur, etenim non solum vicinia locorum id tulit, sed coloni ex stirpe Caucasica eadem via in Æthiopiam et inde in Ægyptum immigrasse regnumque condidisse putantur,[29]) qui ergo aptius cum nulla alia populorum classe conjungi potuere, quam cum Arabibus[30]) et Cananæis. — Conjunctio Cananæorum cum Ægyptiis arctior contrahi videbatur per fata nonnullorum eorum, qui Palæstinam incolebant. *Philistæi* enim se ex regionibus quibusdam Ægypti exiisse dicebant. Genere sane non Ægyptii dicuntur, sed solum e Casluchæis vel regione eorum egressi.[31]) Quum

---

[27]) *Herod.* I, 1. *Strabo* XVI p. 1090 (ed. Falcon.)

[28]) Sic *Schlosser* Universalhistor. Uebersicht der Gesch. der alten Welt p. 129.

[29]) *Schlosser* l. l. p. 179.

[30]) Nec nullius momenti id esse videtur, quod Arabes et Æthiopes et interdum Indi uno eodemque nomine ab Hebræis appellantur.

[31]) Gen. 10, 14. Misraim genuit — Casluchæos, אֲשֶׁר יָצְאוּ מִשָּׁם פְּלִשְׁתִּים. Philistæi non originem ab iis ducere

etiam Caphtore egressi dicantur, (Amos 9, 7) et utrumque nomen urbes vel provincias Ægypti designare videatur,[32]) aut colonorum instar deducti videntur, aut ex Ægypto pulsi advenere. Armis sedes sibi pararunt, et jam eam ob causam probabilius videtur, eos armis ex Ægypto pulsos esse, quam sponte exiisse. Atque annales Ægyptiaci ejectionem eorum haud tacent. Manetho enim narrat, nomades ab oriente ingressos quondam Ægyptum inferiorem occupasse et per 5 secula dominatos esse; tum vero a regibus Thebaicis expulsos in Syriam secessisse et

dicuntur, nam sic dictum fuisset מֵאֹתָם pro מִשָּׁם; itemque non tam populus quam tractus, quem tenuere, per Casluchæos intelligi debet, quod שָׁם adverbium loci sit. Præterea iidem a Caphtoræis exiisse dicuntur Amos. 9, 7, id quod non aliter intelligi potest, quam si a loco, ubi et Casluchæi et Caphtoræi habitabant, exierint.

[32]) Fuere quidem, qui Colchidem et Cappadociam significari putaverint, (*Bockart* p. 285 et 286) statuentes, coloniam Ægyptiorum primum in Colchidem deductam esse (id quod etiam *Herodotus* II, 104 et alii tradunt); inde quosdam ad patriam revertentes in Palæstina substitisse; sed cum tales ambages ab ingenio hujus ethnographiæ alienæ sunt, tum admodum incertum est, an Colchii coloni Ægyptii fuerint, idque de Cappadocibus nusquam traditur; quo accedit, quod nec nomen כַּסְלֻחִים Colchiis, nec appellatio אִי (Jer. 47, 4) Cappadociæ convenit. Quare satius est statuere, Casluchæos et Caphtoræos in ipsa Ægypto inferiori quærendos esse, quoniam nomina eorum cum cæteris Ægypti urbibus partibusve absque novo vinculo recensentur. אִי vero apte de littoribus Ægypti dicitur (v. Jes. 23, 2. 6 &c.); nec negligendum est, quod aliquot eorum, qui in Palæstinam ex Capthore profecti sunt, Avim appellantur, (Deut. 2, 23) Avaris

Hierosolymam vel Solymam condidisse.[33]) 240 millia hominum sic ex Ægypto in regiones, ubi Philistæos deprehendimus, tetenderunt, et, quamvis non Salem condiderint, Ægyptius auctor eis facile urbem maximam loci tribuere potuit. Hæc autem Philistæorum ejectio accidit secundo seculo, antequam coloni Hebræi ad Cananæos venerunt; traditio itaque adhuc superstes ferebat, Philistæos ex Ægypto exiisse. Genus autem non aliunde quam cæteri Cananæi traxisse putandi sunt; ex Arabia enim sive ab oriente in Ægyptum ingressi erant, itaque a sedibus, quas tunc Phoenices tenuere; sed quicunque ab initio fuerint, Cananæis annumerati sunt, ex quo, Ægypto relicta, in terra, quæ posthac nomine eorum dicta est, habitabant, vinculumque Cananæorum cum Ægyptiis arctius contraxerunt. Accessit, quod Cananæi in Ægyptum, confugere solebant, quoties patria tellus spem fefellisset, et commercio frequente semper cum Ægyptiis utebantur (Gen. 37, 25); quæ res non minus, quam situs geographicus et traditiones illæ antiquæ, auctorem ethnographiæ movere potuit, ut Cananæos cum Ægyptiis conjungeret.

In patria sua Cananæi in plurimas civitates parvas divisi erant; sic tulit ratio vivendi, qua utebantur. Erant forsan etiam, qui nulli potestati civili parerent, patriarchalem rerum formam adhuc con-

vero patria urbs fertur eorum, qui Pastores dicti ex Ægypto ejecti sunt. (*Jos.* c. Ap. I, 26 p. 1200 ed. Haverc.)

33) *Jos.* c. Ap. I, 14 et 26 (ubi Solymitæ appellantur). De hac re vide § 40. 41.

servantes; sic Mamre, Eschol et Aner (Gen. 14). Sed passim etiam urbes conditæ erant, et urbibus præfuere reges; Salemi potestas regia et sacerdotalis conjuncta fuit; in cæteris urbibus modo civilis potestas penes regem erat. Pleraque vero hæc regna minima erant, nam agricultura et res pecuaria, quibus Cananæi operam potissime dabant, non sinunt magnas urbes condi; regum potestas agris urbium limitata erat, et, si etiam proximis nomadibus imperarent, non firmum erat imperium, quum male contentis semper copia abeundi esset. Sic non locus erat potestati, quæ insurgere et prævalere posset; nec invicem reguli foedere juncti erant,[34]) nisi quando interdum in communi periculo aliquot arma junxerunt (Gen. 14). Potentius tamen regnum Philistæorum fuisse videtur; prouti omnes simul sedes suas occupaverant, sic omnes uni regi parebant; ab eo violentia timenda erat, (Gen. 20, 11. 26 &c.) cum eo foedera ambienda erant. Quum talis esset rerum in Cananæa conditio, nulla terra colonis Hebræis magis arridere potuit; tyranni non erant, licebat parva cum manu sui juris esse.

Agriculturæ reique pecuariæ et mercaturæ operam navantes Cananæi pacifici erant; aperta pascua inter urbes neminis et omnium erant; licebat participare commoda soli. Indigenæ peregrinos libenter admittebant, intelligentes, opes eorum sibi prodesse (Gen. 34, 22), quum opulentia ruris urbibus mercaturam facientibus divitias addat.

[34]) Sic vicini passi sunt, Sichemitas ad unum usque ab Hebræis interimi. Gen. 34.

Lingva utebantur, quæ postea Hebræorum appellata est; cujus patria ipsa Cananæa maxime fuit,[35]) quare etiam Cananæa ab ipsis Hebræis dicta est (Jes. 19, 18). Scripturam adhibebant, quam Hebræi ab iis acceptam ad exilium usque servarunt (*Ges.* l. l. § 43); et nonnulli eorum litterarum haud imperiti fuisse videntur; invenitur enim inter Anakæos urbs a libris et doctrina appellata Josv. 15, 15. 49. Philistæi vero, quippe qui sævo imperio in Ægypto exercendo et oppressionem postea ferendo ferociores redditi essent, ab humanioribus moribus magis quam cæteri abhorruisse videntur (Gen. 20, 11). Religione denique omnes æque idolatræ erant; phoenicica numina humanis sacrificiis colebant, et in monte Moria forsan primarium exercebant cultum (de qua re infra vide § 25. 28).

Ejusmodi erat terra, ad quam Abrahamus colónos duxit; adventitii magis minusve inter indigenos se miscuerunt: familia Lothi, Sodomitis intime conjuncta, (Gen. 14, 12) cum Cananæis coaluit;[36]) altera coloniæ pars, puritatis avitæ stirpis tenacior, magis se a Cananæis distinxit, et peregrini inter eos habitabant. Fata hujus colonorum partis sola nobis tractanda sunt, quæ quum intime cum fatis viro-

---

[35]) *Gesenius* Geschichte der hebr. Spr. und Schr. § 7.

[36]) Sunt, qui putent, eum suos in Ægyptum duxisse, postquam Sodoma interiisset (*Rask:* den gamle ægyptiske Tidsregn. p. 84), sed historia tacet; et quum duo populi, Moabitæ et Ammonitæ, ab eo orti dicantur, (Gen. 19, 18-37) probabilius est, eum inter eos mansisse, qui circum mare mortuum habitarent.

rum, qui ei præfuere, cohæreant, ab his divisionem et ordinem auspicabimur.

Cap. II.

Historia Abrahami et Isaci.

§. 22. *De fide et indole relationum de Abrahamo.*

Parum opus videtur probare, Abrahamum vere eum fuisse, quem Hebræa traditio eum esse ferat, scilicet auctorem migrationis Chaldæorum quorundam in Palæstinam; quum tamen collatio historiæ peregrinæ turbare videatur, nonnulla de ea re monebimus.

Sæpe accidit, ut memoria rerum antiquissimarum inter plures populos servata sit et quidem ita, ut singuli eundem heroem vindicent; ubique patria herois, ubique scena rerum ab eo gestarum monstrantur. Haud immerito inde concluditur, talem virum tempore vixisse, quo populi nondum distincti eadem experti essent, quorum memoriam alii in aliam terram secum deinde tulerint. Si qua gens itaque sciret, se quondam coloniæ instar in novas regiones venisse, nomine viri inclyti arrepto, eum auctorem deductionis jactare potuit. Sic Judæi nomen Abrahami ob claritatem viri historiæ suæ præfixisse videri possunt; eundem enim Babylonii vindicant; Damasceni ferunt, eum inter se vixisse; Phoenices, eum suum et Saturnum fuisse, tradunt; Arabes referunt, eum templum Meccæ restaurasse; Persæ eum librorum suorum auctorem jactant. For-

san itaque Judæi non majori jure eum suum appellant. Sed tenendum est, sæpius contraria de causa fieri, ut unus inter plures populos celebretur. Accidit enim sæpe, ut ab uno populo ad cæteros nomen viri manaverit, qui tum, fama accepta, virum et res gestas civitate inter se donarint. Dispiciendum itaque est, utro pacto factum sit, ut mentio ejusdem viri inter tot populos reperiatur. Quem in finem tam ipsum id, quod ferunt, quam tempus, quo heros vixisse dicitur, considerandum est. Sic quod ad nostram rem attinet, patet, peregrinos populos aut a Judæis nomen Abrahami accepisse, aut suis traditionibus judaicam confirmare. Etenim jam monitum est, quam inepte mentio Abrahami annalibus Babylonicis inserta sit (p. 83); Arabes haud inficias eunt, Abrahamum conditorem Judæorum esse et in Palæstina vixisse. Phoenices et Damasceni soli ex propria experientia fata Abrahami cognovisse videntur, sed quum etiam secundum traditionem Judæorum inter eos vixerit, hinc fides huic accedit, præsertim quod ipsi Damasceni tradunt, eum tantum in itinere apud se moratum esse. Quemadmodum itaque plurium gentium in Abrahamo nominando consensio non flagitat, ut inter eos fuisse putetur, qui primo initio rerum vixerint, sic neque propter tempus, quod ei tribuitur, id statuere licet. Quum Arabes et Phoenices nec tempus certo definiant, utpote qui chronologia rerum tam antiquarum careant, nec talia de Abrahamo ferant, e quibus indoles temporis ejus erui possit, Judæi soli et Damasceni consulendi sunt; illi tempora computant, et

utrique conditionem rerum, inter quas Abrahamus vixit, describunt. Etiamsi certe computatio, quam Judæi exhibent, dubiis non exemta est, tamen, si vel longissime producta fuerit, non ultra seculum 20 Abrahamum rejicit, atque eo tempore jam dudum populi distincti erant, regnaque plura florebant [37]). Neque relationes Abrahamum collocant in tempore, quod mythicam faciem præ se ferat; Hebræi, quos duxit, nec aborigines, nec e terra nati, nec tanquam divina entia, quæ incolas avitos oppressere, pinguntur; sed coloni e patria egressi, in itinere apud alium populum morati et demum inter gentes Palæstinenses peregrinati. atque idem historicus typus rebus ipsius Abrahami impressus est: is migrantibus dux fertur, nec divino honore colendus, nec divinis operibus insignis describitur [38]). Populi ergo sic divisi erant, ut emigrationibus locus esset; ævum eo pervenerat, ut eventa historica a mythis distingverentur.

Procul tamen abest, ut sic negare velimus, ullum mythorum vestigium in traditionibus de Abrahamo posterisque ejus proximis deprehendi. Etenim quamvis capita rerum, quæ evenerunt, a mythis bene distingvantur, singulis colores inducti

---

[37]) Docebit vero chronologia in sequentibus probanda, Abrahamum justo longius a Mose, nec minus Mosem justo longius a Salomone removeri.

[38]) Observatu dignum est, quomodo indoles historica in historia Abrahami prævaleat, eademque quomodo in recentioribus rebus (fatis Josephi et exitu ex Ægypto) obscuretur.

sunt pro ingenio eorum, inter quos eventa ore tradita circumferebantur. Quum itaque judaica gens egregia in Deum fiducia et pia rerum consideratione excelleret, eadem nota historiæ Abrahami impressa est. Nec tamen sic fides relationibus decedit, partim, quod eventa eadem manent in colore novo, partim vero quod indoles hæc ipsa historici momenti est, siquidem, historia plane repugnante, fata viri historici non pinguntur. Quando itaque omnes omnino traditiones e virtutibus spiritualibus laudem Abrahamo conferunt, colligere licet, eum talem sui memoriam reliquisse, ut is præsertim dignus visus sit, cui ea laus tribueretur. Conveniunt enim Orientales omnes in sapientia et pietate Abrahami celebranda; Græcis idem aptissimus visus est, cui aut inventio artium chaldaicarum aut propagatio earum in Ægyptum tribueretur. Vivum porro ejusdem Abrahami ingenii monumentum est indoles posterorum, ab avo utpote accepta.

Sed pia mens pectore inclusa oculos hominum fugit, ideoque fieri nequiit, ut de viro, qui vitæ notam ab eadem repetat, multa inter peregrinos circumferrentur, et quum pro instituti nostri ratione maxime ea, quæ peregrinis relationibus illustrari possint, perstringenda sint, pauciora de Abrahamo acturis nobis præsto esse videntur. Quoniam vero nihilominus Abrahamus et rebus quibusdam gestis inclaruit et sæpius documenta pietatis facto edidit, hæc tamen et diserto historiæ testimonio et per collationem eorum, quæ ex ea constant, collustrari possunt.

§ 23. *De migrationibus coloniæ, postquam in Palæstinam ventum erat.*

Quum Abrahamus coloniam in Palæstinam duxisset, in meridionali ejusdem parte substitit, inter Bethel et Ai tentoria fixit. Vetuit vero vita, quam agebant, pastoritia, quominus diu in uno loco morarentur. Plura igitur loca monstrabantur, in quibus colonia, duce Abrahamo, habitaverat. Etenim quum Lothus orientem versus discessisset, Abrahamus Hebronem profectus est, et aliquamdiu deinde in regno Philistæorum commoratus est. Accurata harum mansionum recensio levis fidei nullo modo esse videtur; nam et cum rebus, quæ evenerunt, loca sæpius intime cohærent atque ad minima conspirant (v. c. 22, 4. cl. 21, 34.), et facillime memoria habitationis locis adfixa conservata est. Supererant passim nemora et arbores, valles et montes, de quibus patres posteris narrabant, quid quondam in eisdem accidisset [39]. Ad sera usque tempora ostendebatur lucus, juxta quem Abrahamus habitasse dicebatur. *Josephus* scilicet de monumento loci tanquam ad se usque superstite loquitur, [40])

[39]) Si Hebræi 4 secula extra Palæstinam degissent, sane non exspectandum fuisset, loca tam diu memoriam rerum illarum conservasse, sed quum haud ultra unum seculum in Ægypto versati videantur, (§. 43, 54) non locus est dubio.

[40]) Arch. 1, 10, 4. *κατῴκει περὶ τὴν Ὠγύγην καλεμένην δρῦν. ἐςὶ δὲ τῆς χαναναίας τὸ χωρίον ȣ πόῤῥω τῆς Ἑβρωνίων πό-*

nec improbabile est, arbores quasdam antiquissimas in lucu Mamre ab Abrahamo appellatas esse.

Sed quoque extra Palæstinam Abrahamus suos duxisse dicitur; inedia enim ingruente, in Ægyptum profectus est. Nec præter opinionem eum Ægyptum petere videmus; fertilitas Ægypti in toto antiquo orbe inclyta erat, [41]) nec Palæstinenses latuit, quippe quorum pars non minima ex Ægypto in Palæstinam venisset; (§ 21) ipsique postea inde annonam petebant (Gen. 42, 5); Ægyptus quoque peregrinis patebat; pars terræ orientalis paludibus et pascuis plena est, et pastoribus Arabicis sæpius concessa est. [42]) Non mirum ergo, colonos relationibus indigenarum motos, forsan et exemplum eorum secutos, in Ægyptum tetendisse. Quum vero hæc res nec magni momenti esset, nec præter solitum eveniret, non exspectandum est, adventum Abrahami in annalibus Ægyptiorum commemorari, nisi aliquid magnum per eundem factum fuisset. Jd quidem etiam et Græci (*Eupolemus* et *Artapanus* Præp. *Eus.* IX, 17. 18.) et *Josephus* (Arch. 1, 8, 2.) affirmant; tradunt enim, Abrahamum regem populumque astronomiam arithmeticam et alias artes docuisse [43]). Sed et silen-

λεως. Nomen 'Ωγύγης, quod nec in textu hebr., nec apud Alexandrinos occurrit, probat, Josephum h. l. ex propria experientia referre.

[41]) Tanquam fertilitatis exemplum in ipsa Gen. 13, 10 nominatur.

[42]) Postquam Saraceni Ægyptum occupaverant, in medio ævo sæpe pastorum turbæ confluxerunt, adeo ut regnum ab eis periclitaretur.

[43]) *Josephus* Arch. 1, 8, 1 adeo tradit, id in consilio Abra-

tium historiæ Ægyptiacæ et polemica ratio, quæ traditioni subesse cernitur [44]), vetant, quominus aliud inde colligatur, quam Abrahamum primum esse, qui post initium certioris historiæ ex Babylonia in Ægyptum profectus diceretur, eundemque ob indolem traditionum universalem idoneum visum esse, cui partes doctoris tribuerentur. Sola sic restat relatio biblica de itinere Abrahami in Ægyptum; quum vero veritas ejus probabilitate ipsius rei non minus quam historico relationis typo commendetur [45]), certum habendum est, Abrahamum in Ægyptum profectum esse.

Sed quonam consilio in Ægyptum se contulerit, utrum tantum famem peregrinatione evitare, annon ibidem sedem figere voluerit, haud constat. Traditur quidem, eum in animo habuisse *peregrinari* in Ægypto, (Gen. 12, 10) sed quum et idem verbum de habitatione ejus in Palæstina frequenter occurrat, et consilium facillime pro exitu rei fictum esse possit, nil obstat, quominus suspicemur, Abrahamum, qui nuper in Palæstinam venisset, conatum esse adhuc lætiora pascua in Ægypto invenire. Sed ab indigenis violatus ad loca relicta rediit.

---

hamo proficiscenti fuisse, ut aut ipse sententias suas religiosas emendaret, aut Ægyptios meliora doceret.

44) *Joseph.* l. c. "nam a Chaldæis in Ægyptum, inde ad Græcos manarunt" cfr. *Eupolem.* l. l. qui quum iter Abrahami narraverit, mox hostili ardori indulget.

45) Fames Gen. 12, 10, reditus ad eundem locum 13, 3, 4 et commemoratio ancillæ Ægyptiacæ 16, 1 cl. 21, 21, notam historicam gerunt.

Ad quemnam Ægypti regem venerit, non magis constat. *Josephus* quidem (Bell. Jud. 5, 9, 4.) auctor est, regem Nechao fuisse; quum vero id in oratione ex tempore habita dictum sit, nec in historia Abrahami narranda ab ipso commemoratum sit, non multam fidem habere videtur, nec usquam reperitur Ægyptiorum rex eo nomine dictus ante seculum septimum.

Fuere, qui putaverint, hunc regem non inter reges genere Ægyptios quærendum esse, sed unum inter reges Pastores intelligi, qui partem Ægypti per 5 secula quondam tenuere [46]). Quamquam sane res narratæ non magis uni quam alteri sententiæ favent, tamen et simplex mentio regis Ægypti et titulus *Pharaonis* probare videntur, regem illum et toti Ægypto imperasse et indigenam fuisse, siquidem sic demum titulus originis et lingvæ Ægyptiacæ ei tribui posse videtur. Probabimus vero etiam infra, ejectionem regum Pastorum diu ante adventum Abrahami accidisse. Fuit itaque unus e Diospolitanis, quorum est dynastia XVIII, et chronologia nostra ducti, Tethmosim II aut Amenophin II Abrahamum excepisse et violasse, putamus [47]).

Dum Abrahamus in Ægypto versabatur, res ejus feliciter successerunt. Quamvis irâ regis ejectus, non solum omnia sua secum extulit; sed quoque

---

[46]) *Rask* d. ældste hebr. Tidsr. p. 100.

[47]) *Rask* l. l. alia chronologia ductus eum Nephercherem esse putavit, cujus nomen cum Nechaone sic conferendum erat. Sed hoc nomen æque ab utroque discrepat, et, uti monuimus, non multæ fidei est.

Ægyptiis colonia aucta fuisse videtur: sic Hagar Saræ data est; nec probabile est, eam solam cum Hebræis se conjunxisse. Contra alii coloniam Hebræorum in Ægypto diminutam fuisse putarunt. Traditur enim, multos Hebræos fertilitate loci captos remansisse, quum Abrahamus rediret; [48]) explicatur quidem ita aliquatenus, quomodo tantus esse posset numerus Hebræorum, quum Moses eos eduxit; sed tamen vereor, ne hæc mera confusio sit rerum similium, quoniam auctor relationis non bene res Judæorum cognovisse videtur, et præsertim quod V. T. plane repugnat. 12, 20. 13, 1-2.

Scriptura narrat, Abrahamum in Palæstinam rediisse ibique mansisse. Sola Arabum traditio fert, eum quoque Arabiam et nominatim Meccam visitasse. Accidit, ut verba quædam in V. T. eis assentiri videantur; legitur scilicet, Abrahamum, Ægypto relicta, meridiem versus profectum esse Gen. 13, 1. Sed præeuntibus jam interpretibus Alexandrinis, [49]) pars meridionalis Palæstinæ intelligenda est, id quod contextus aperte docet. Præterea Arabes non iter solum ad se susceptum esse, volunt, sed Abrahamum tanquam diu semperve inter se commoratum sæpius describunt, ubi de templo ab eo exstructo aliaque fabulantur. Haud secius Sethum ad patriam suam referunt, et valet heic, quod supra monui-

---

[48]) *Artapanus* in Præp. *Eus.* IX, 18. *Rask* d. gl. æg. Tidsr. p. 102 hanc sententiam amplectitur.

[49]) Reddunt *εἰς τὴν ἔρημον;* sic pars regionis meridionalis Palæstinæ dicebatur.

mus, (§ 22) viros inter peregrinos celebres a populis historia carentibus, mox civitate donari.

§ 24. *De bello ab Abrahamo gesto.*

Colonia in Palæstinam reducta, Lothus cum suis discessit; et primum inter urbes in Sithim valle sitas greges pavit, deinde societate interiori cum Sodomitis conjunctus est.

Accidit eo tempore, ut hostilis vis Palæstinam invaderet. Quoties hostes patriam nomadum aggrediuntur, fieri solet, ut in urbes solas arma convertant, regibus tributum imponant, nomades vero passim dispersos diripiant. In Palæstina urbes florentissimæ in valle Jordanensi erant, quæ jam ante adventum Hebræorum sub jugum a peregrinis missæ fuerant. Postquam Hebræi coloni accesserant, defecerunt. Hostes ulturi advenerunt, sed victoria jam reportata, ab Hebræis fusi sunt.

Fides hujus relationis quoad ipsum eventum, quod in ea celebratur, maxime inde pendet, quod petita videtur a traditione, quæ maturius quam pleræque aliæ arbitrio referentium subducta fuerit. Carmine enim servata est, cujus rei et impedita narrandi ratio [50]) et poëseos vestigia [51]) documento sunt. Mature autem carmen compositum est; nam indoles,

---

[50]) In medias res rapitur v. 1-3 et demum postea ad originem belli narrandam reditur v. 4-5.

[51]) v. c. triplex in numerandis annis parallelismus v. 4 et 5; pleonasmus in nominibus populorum et habitationum cumulandis 4-7; repetitio nominum regum 1, 2 cl. 8, 9, atque enumeratio regum in v. 9, quæ inverso antecedentium ordine facta est.

quam cæteræ relationes spirant, nondum in hanc penetravit. Deest enim solita omnium ad Deum auctorem relatio; si ore tradita fuisset, putare licet, eam tulisse, Deum aut Abrahamo cladem Lothi nuntiasse (uti Exod. 4, 19) aut eum ad proficiscendum hortatum fuisse. Porro nomina illa, quibus postea Deum appellarunt, et quæ in referendo etiam in hac historia adhibuissent, in hoc carmine non occurrunt; nec אֱלֹהִים nec יְהוָֹה nec utrumque conjunctum legitur, sed usque אֵל־עֶלְיוֹן v. 18, 19, 20, 22, vocatur.[52]) Quemadmodum vero sic fides ipsius eventi augetur, sic tamen pro natura carminis in rebus, quæ ad ornandam scenam et ad augendam rei magnitudinem pertinent, non ejusdem fidei relatio habenda est. — Et si peregrinam historiam ipsamque biblicam relationem examinamus, verum duci nequit, eos fuisse hostes, quos carmen perhibet. Genesis (14, 1) narrat, reges Babyloniæ, Mediæ, Elazari, quod Vulgata Pontum, alii Assyriam reddunt, et regem Gojim, sive gentium ignotarum in universum sive unius gentis incertæ, arma junxisse. Frustra circumspicimus conditionem rerum, qua tantæ vires conjunctæ esse potuerint. Asiatarum nunquam fuit ad occupationes arma conjungere; Medi nimis remoti erant, quam ut in Palæstinam proficiscerentur. Fuit quidem tempus, quo, Babylonia potiti, Palæstinæ propiores fuerunt, sed tum ipsi Medi reges erant Babylonis.[53]) Præterea exitus tantarum virium con-

[52]) Tantum v. 22 nomen Jehovæ legitur, sed nec solum nec cum אֱלֹהִים conjunctum.

[53]) *Eus.* Chron. I. p. 40. Neque ob chronologiam de eo

junctioni parum convenit. populi nomades aliquot in finibus Palæstinæ orientalibus et australibus fusi sunt, reguli 5 succubuerunt, sed nomades non unius diei itinere remoti intacti et adeo rei ignari mansere, et hæc tota hostilis vis ab Abrahamo non ultra mille milites ducente superata est. Denique incertitudinis vestigium relationi ipsi inest, quum ultimo loco nomen universale positum sit: Gojim enim Gen. 10, 5, de multitudine gentium ignotarum occurrit, et nusquam unus populus eo nomine venit. Idem ergo est, acsi auctor dixisset: regem Babyloniæ, Mediæ, Elasari aliarumque gentium ignotarum in Palæstinam invasisse. Obtruditur ita opinio, famam tulisse, magnas hostium copias ab Abrahamo fusas esse, et quum pro more Orientalium et poetarum in universali notione non subsistere liceret, auctor carminis populos circumspexit, quibus hoc bellum tribuere posset; sic nomina potentissimorum regum Babyloniæ et Mediæ posita sunt, incerti vestigiis in nomine ultimo manentibus. — Jam antiqui historici fidem horum nominum desperarunt. *Josephus* (Arch. 1, 9) Assyrios substituit, monens, eos eo tempore Asia potitos esse, et quatuor reges in S. S. nominatos totidem Assyriorum duces esse affirmat; *Eupolemus (Eus.* Præp. IX, 17) Armenios intelligit; sed quum uterque conjiciendo sua reperisse videatur, ex indole rei et historia Asiæ nobis probabilitas eruenda est. Armenii tanquam monticolæ non apti

---

tempore cogitare licet, nam Medi Babyloniam tenuerant diu, antequam Chaldæi (seculo 20) eam occuparunt. (v. p. 26 et p. 65).

videntur, a quibus hæc expeditio repetatur; nam monticolarum est, aut domicilia cum imperio in planitie condere, aut populandi causa descendere et prædam ad montes suos reportare. Heic vero adest potestas, quæ non latronum speciem præ se fert; adfuerant antea et tributum annuum victis imposuerant; jam, defectione facta, ulturi redierunt. Adest ergo vestigium imperii jam conditi, quod solito modo potestatem in vicinos extendit. Et sic *Josephus* rectiora vidit; nam, uno et dimidio seculo elapso, Ninus Assyriorum dux ipsam Babylonem expugnavit, et antea jam Assyrii potentes fuere, nam et plures reges ante Ninum imperarunt et jam occidentem versus in Lydiam arma tulerant.[54]) Omnino ergo verisimile est, eosdem etiam Cananææ partem subegisse, missis tamen urbibus et regionibus maritimis, quas et postea Assyrii et Babylonii nunquam expugnarunt.[55]) — Quinque reguli urbium vicinarum cum his hostibus in valle Siddim congressi, terga dedere. Clade vicinorum et familiarium excitati dux coloniæ Hebræorum et tres viri

---

[54]) vide *Niebuhr* kl. Sch. p. 197.

[55]) Posset confirmatio peti a nomine אלסר, quod stamina nominis אשור contineret, aut Telazaram, provinciam Syriæ, indicaret; sed difficultas narrationis hoc modo non tollitur, quum rex Elasari nec solus nec dux cæterorum sit. Ne vero offendat, quod Hebræi Assyrios sibi notissimos non agnoverint, monemus, Assyrios tunc novam gentem esse. et quum nec ab urbe nec a conditore imperii nomen trahant, facile fieri potuit, ut nomen certum hostium Abrahamitis non constiterit, ita ut vaga traditio ad auctorem carminis veniret, magnam hostium vim ab Abrahamo esse propulsatam.

indigenæ arma ceperunt. Abrahamus exercitum duxit; coloni numero 318 erant, socii vero suos duxisse videntur; nam quum præda dividenda esset (Gen. 14, 24) pars Abrahami et familiæ ipsius opponitur parti illorum tanquam una tribus, quod non ita factum fuisset, si triumviri illi soli signa Abrahami secuti essent. Abrahamus itaque cum militibus fere mille profectus est, nec minor itaque exercitus fuit, quam ut Assyrios noctu oppressos fugare posset. Assyrios securos redeuntes non procul a finibus Syriæ nactus est, et, suis divisis, impetum fecit.[56]) Castra et præda victori cesserunt.

Generositatis documentum, quod Abrahamus, post proelium edidit, aliquantum aliter in aliis relationibus narratur. V. T. tradit, eum suam prædæ partem recusasse, *Eupolemus* (Præp. *Eus.* IX, 17) vero, eum, legatis ab hoste missis, captivos Armenios dimississe. Eupolemus in hac tota narratione non Vetus Testamentum, sed, uti infra patebit, traditiones Samaritanorum secutus est; apparet itaque hinc, aliam traditionem tulisse, generositatem Abrahami aliter se exseruisse. Sed quum semper maximi interesset generositatem Abrahami celebrari, minus curabant ipsum eventum, et haud mirandum est, recentiorem traditionem hoc arbitrarie immutasse, dummodo vis ejus eadem maneret vel adeo augeri videretur.

In historia coloniæ Hebræorum hoc bellum

---

[56]) *Joseph.* Arch. I, 10, 1, addit, Abrahamum in quinta nocte eos nactum esse somnoque et vino graves oppressisse.

haud parvi momenti est; nam accidit per id, ut coloni tanquam servatores patriæ præcipuo honore ab incolis indigenis et regibus eorum haberentur. Accidit quoque eadem occasione, ut arctius cum indigenis ratione religionis habita conjungerentur.

§ 25. *De decimis ab Abrahamo pontifici Cananæo solutis.*

Redeunti enim Abrahamo obviam venit Melchisedechus, Salemi rex et sacerdos dei Supremi, qui ei benedixit et decima prædæ parte donatus est. Historica hujus rei fides plus quam uno nomine dubia videtur, ideoque opus est, ut accuratius in eam inquiramus. Tria sunt ejusdem capita: Melchisedechum Salemi regem esse; eum ab Abrahamo honores accepisse et sacerdotem Dei Supremi fuisse. In urbe Melchisedechi indicanda *Eupolemus* a S. S. discedit traditque, eum in urbe Argarize regnasse.[67]) Quum vero tota res tam parvi momenti sit, ut fama ejus ad peregrinos venire non potuerit, quum et Eupolemus nusquam ex peregrina historia hausisse videatur, dissensus hic non alienum traditionis fontem arguit; sed manifestum est, Eupolemum sequi traditionem quandam Samaritanorum, qui suo Monti (Garizim) honores Melchisedechi vindicare voluerint. Utrum vero Judæis an Samaritanis fides habenda sit, dubium non est, et fides Judaicæ traditionis augetur consideratione scenæ, ubi res evenerunt: reducebantur Sodomitæ, et Abrahamus Hebrone habitabat, via

---

[67]) Citante *Polyhistore* in Præp. *Eus.* IX, 17.

ergo juxta Hierosolymam ducebat; et Salem sedes primaria religionis Palæstinensium fuisse videtur.

Dicitur porro Melchisedechus ab Abrahamo decimas accepisse. Non sine specie veri suspicantur, hanc totam relationem a Levitis additam esse, ut perantiquus decimarum mos exemplo patriarcharum sanciretur; verbaque ipsa v. 20 suspicionem confirmant; nam subito post orationem Melchisedechi adjungitur: וַיִּתֶּן־לוֹ מַעֲשֵׂר מִכֹּל ita ut Melchisedechus subjectum esse videatur, aut ut nexu turbato Abrahami nomen cogitando supplendum sit;[58]) et alter locus, qui decimas tangit, Gen. 28, 22, haud secus interpolationem redolet.[59]) Sed quum interpolator vestigia interpolationis delere sollicite curet, nexus interruptus et facillime, si placuisset, restituendus potius verba vindicat. Neque tantum est decimarum miraculum, ut narratio in usum temporum sequentium composita putetur; nam inter Cananæos decimæ solvebantur, et constat, Carthaginenses adeo, patria relicta, decimas Tyrum misisse; (*Diod.* 20, 24) quare nec opus est decimas ab Ægypto repetere,[60]) nec dubitandum est, Abrahamum et Jacobum jam decimarum more usos esse. Accedit huc, quod Abrahamus non de suis decimas dedit; præda enim maxime e bonis Cananæorum constitit.

Melchisedechus sacerdos Dei supremi dicitur.

---

58) Alexandrini interpretando nomen Abrahami addidere.

59) Subita personæ mutatio alienam manum prodere videri posset.

60) *Leo* Geschichte des jüdischen Staates p. 100.

Quæritur vero, utrum Deus unicus verus, an supremum Cananæorum numen intelligi debeat. Quamvis nomen אֵל per se numen Cananæorum significare possit, (v. Jes. 44, 10; 45, 20) dubitamus tamen, an non potius auctor relationis Deum suum intellexerit, quod prædicatum negativum (inutilis, qui servare nequit) alias deesse non solet, et præsertim quod prædicatum honorificum, quale est supremus, non numini gentilium tributum fuisset. Sed nihilominus Melchisedech non veri Dei sacerdos fuisse videtur; nam Cananæi omnes idola colebant, quod et S. S. et historia profana testantur, et posthæc videbimus vim fidei eorum in pium Abrahamum. Salem adeo sedes religionis eorum primaria fuisse videtur; eam enim ob causam Abrahamus filium in monte Moria sacrificare voluerat, et probabile est, eandem rationem Davidem movisse, ut simulac urbs capta esset, arcam foederis Hierosolymam, jam religione sacram, transferret. Deinde apparet, relationes judaicas antiquas non accurate suam religionem a religione alienorum distinxisse, sed per *κοινωνίαν* quandam suas opiniones aliis tribuisse: sic Abimelech Gen. 21, 22. 23 auxilio Dei, quod Abrahamo contigisset, perspecto, jusjurandum per Deum poposcit et per eundem dedisse putandus est; sic Ægyptii, Exod. 14, 25, Jehovam populo adesse confessi dicuntur, idemque ex Gen. 24, 31; 31, 29; 41, 38 Exod. 8, 15 Num 22, 13 &c. apparet. Denique facile fieri potuit, ut Judæi Melchisedechum veri Dei sacerdotem dicerent, ne Abrahamo a sacerdote idolorum benedictum fuisset. Sed putaverit forte ali-

quis, hanc ipsam rationem tanti ponderis esse, ut ob eam necessarium habeatur, Melchisedechum unius veri Dei cultorem uti Abrahamum existimare. Sed id est ingenium hominis vere pii, ut numen in omni religione coli persvasum habeat; quare si ipse cultu publico careat, et inter homines vivat, qui aliam de natura numinis persvasionem cultu exprimant, nil dubitabit, quin numen sub forma religionis alienæ revereatur. Et heic Abrahamo de tota gente meritissimo obviam ivit antistes sacrorum terræ, gratulaturus et religionis populique nomine gratias acturus: certe sensu religioso caruisset, qui sic benedictionem sacerdotis, forsan pietate et moribus venerabilis, respuisset, præsertim tempore, quo nondum intolerantiæ malum animos piorum disjunxerat.

§ 26. *De circumcisione ab Abrahamo adoptata.*

Talibus meritis et tali religionis communione coloni cum indigenis arctius conjungebantur. Circumcisione suscipienda adhuc magis ad mores Cananæorum accesserunt; tradit enim *Herodotus*, (II, 104) Phoenices circumcidi ab Ægyptiis edoctos. Quanquam non omnes Cananæi circumcisione utebantur, id quod exemplo Sichemitarum (Gen. 34) apparet; tamen quoque, ut eadem relatio probat, circumcisio inter Cananæos non plane insolita fuit, quum sic Jacobus his non tam facile persvasisset, ut eam susciperent.[61] Præterea tam antiquus inter Phoenices

---

[61]) Id quod *Michaelis* bene monuit Mosaisches Recht § 185.

erat usus circumcisionis, ut tempore Herodoti tanquam desvetus mos commemoretur.[62]) Phoenices vero ferebant, se circumcisionem ab Ægyptiis didicisse, ac re vera inter Ægyptios a remotissimis temporibus inde usurpata fuisse et cum cultura morum prima ab Æthiopia accepta videtur.[63]) Oritur vero hinc quæstio haud facile solvenda, utrum scilicet ab Ægyptiis, an a Cananæis Abrahamus circumcisionem didicerit, quippe qui cum utraque gente consueverit. Herodotus quidem tradit, et Phoenices et Syros sive Judæos fateri, se circumcisionem ab Ægyptiis didicisse; (ibid.) quod quum non in exitum, Mose ducente, explicari possit, de Abrahamo intelligendum est, ita ut credidisse dicantur, Abrahamum circumcisionem ab Ægyptiis didicisse. Sed quum Herodotus res Judæorum leviter cognoverit, nec Judæi facile id eo tempore confessi fuerint; non huic relationi confidere licet. Si solum V. T. consideratur, haud vero dissimile est, Abrahamum in Ægypto circumcisionem vidisse eandemque postea, quum a Cananæis eam observari conspiceret, in Cananæa inter suos instituisse. Quicquid sit, manet hoc, colonos ea suscipienda ad mores quorundam Cananæorum[64]) accessisse.

---

[62]) II, 104 *Φοινίκων ὁκόσοι τῇ Ἑλλάδι ἐπιμίσγονται, ὀυκέτι Ἀιγυπτίους μιμέονται κατὰ τά ἀιδοῖα.*

[63]) *Herod.* ibid. Siquidem Ægyptii non ipsi inventionem circumcisionis sibi tribuerunt, sed incertum reliquerunt, utrum a se, an ab Æthiopibus excogitata sit, probabile est, eam vere ab his proficisci.

[64]) Pro eis, quæ de origine Philistæorum monita sunt, (§ 21) imprimis Philistæi circumcisione usi putandi

Quid Abrahamum moverit, non in aprico est. S. S. narrat, Abrahamum, deo jubente, circumcisionem instituisse tanquam foederis cum Deo signum (Gen. 17, 9 sqq). Sed ne tangam difficultatem omnium locorum, ubi Deus loquens inducitur,[65]) hæc religiosa ratio Abrahamum non potissime movisse videtur, quoniam hoc signo non suos ab aliis idola colentibus distinxisset. Natura rei vero fert, rationem habitam esse medicæ utilitatis; ea enim non parva est sub coelo calido, nec veteres fugit.[66]) Fuere, qui foecunditatem circumcisione augeri dixerint,[67]) et *Eusebius* eam futuræ prolis signum esse putavit; (Præp. VII, 8. p. 310 ed. Vigeri) sed nec eam vim habet, nec signum naturale est. Sed vis medica ejus in puritate aucta versatur. Quum vero ita naturale puritatis signum sit, facile fieri potuit, ut pro intima conjunctione, quæ inter mores externos et pietatem animi intercedere putabatur, vis symbolica, moralis scilicet, circumcisioni tribuere-

---

sunt; et sic quoque explicatur, cur Cananæi, qui longius septentrionem versus habitabant, (uti Sichemitæ) eandem non usurparent.

[65]) Quam inconsulte verba Deo tributa urgeri possint, ostendit exemplum *Michaelidis*, (Mos. Recht § 185) qui, usum circumcisionis ante Abrahamum ortum esse, conjecit exinde, quod Deus artem circumcidendi accuratius non descripserit.

[66]) *Philo* de circumcisione II, p. 211. Imprimis morbum sanari nescium, *ἄνθρακα* dictum, impedit. *Joseph.* c. Ap. 2, 13.

[67]) *Philo* l. l. *Wolfheimer* dissert. de causis foecunditatis Hebræorum.

tur. Ad eandem sententiam etiam usus moris inter alios ducit. de usu inter Canahæos quidem nil constat, hi autem ab Ægyptiis morem acceperant. Et quamvis *Herodotus,* qui inter miracula morum Ægyptiorum circumcisionem refert, (II, 36) omnes Ægyptios circumcidi narrare videatur, id quod et *Strabo* (ib. 17) et *Diodorus* (1, 28. 55. cl. 3. 32) affirmant; tamen solis sacerdotibus necessitas circumcisionis imposita fuisse videtur; etenim Pythagoras sub hac sola conditione ad sapientiam sacerdotum admissus est; quidam Ægyptii fuerunt non circumcisi,[68]) et *Josephus* (c. Ap. II, 13) diserte monet, sacerdotes omnes inter Ægyptios circumcidi, tacite professus, idem a cæteris omnibus non observari. Ex hocce usu vero colligere licet, vim religiosam magis quam medicam circumcisioni inter Ægyptios tributam fuisse. Quodsi ad Hebræos ab eisdem sive mediate sive immediate transiit, verosimile est, Abrahamum quoque religiosam ejusdem significationem cum medico usu conjunxisse. Huc accedit, quod omnes populi, qui circumcisione utuntur, semper alios ob neglectum ejus contemnere solent; et jam antiqui Hebræi majoris eam habuisse videntur, quam remedium sanitatis, quum Jacobus filiam alio pacto Sichemo locare nollet (Gen. 34). Quamobrem statuendum est, Abrahamum et sanitati et puritati morum prospexisse, quum circumcisionem institueret. Sed ex quo Moses morem avitum

[68]) Sic Apion, qui circumcisione negligenda mortem sibi contraxit.

lege sanxerat et tanquam criterium veri Dei cultoris constituerat, facile Abrahamo tribui potuit consilium, quod demum Moses instituto Abrahami subjecit.

§ 27. *De lingva Cananæa a colonis accepta et familiari eorum cum Cananæis commercio.*

Coloni Hebræi lingva Aramæa utebantur, quum in Palæstinam venerunt. Quantum vero hæc a lingva Cananæorum tunc temporis discrepuerit, non constat. Quum ipsi Phoenices ex eisdem fere regionibus olim egressi essent, stirps utriusque una erat. Sed per secula lapsa Phoenices, qui Arabiæ littora peragraverant, aliquantum aliter lingvam suam excoluisse putandi sunt, quam ii, qui in patria manserant. (v. § 21) Auctor Geneseos, totam utriusque dialecti discrepantiam jam tempore Jacobi exstitisse, innuit (Gen. 31, 47), et Judæi ferunt, Abrahamum aramaice locutum esse, quum in Palæstinam intraret.[69]) Sed nusquam aut interpretis aut difficultatis colloquii inter Cananæos et Hebræos mentio fit; quare discrepantia dialectorum haud major fuisse videtur, quam ut facili negotio se mutuo intelligerent. Eo facilior quoque adventitiis fuit transitus ad lingvam indigenarum, qua posthæc usi sunt, et quam ipsi a Cananæis se accepisse fatentur. Jes. 19, 18.

Quemadmodum vero commutatio lingvæ probat, familiarem cum Cananæis consvetudinem Hebræis intercessisse, sic quoque alia, quæ traduntur, eandem

---

[69]) v. *Gesenius* Gesch. der hebr. Spr. p. 15.

familiaritatem ostendunt. Inter medios Cananæos fundos emebant (Gen. 23) atque occupabant (Gen. 26, 12), foedera cum singulis faciebant conditione, ut possessionibus eorum libere uterentur (Gen. 14, 13; 20, 15; 21, 27; 26, 28)[70] ac pari cum civibus jure gauderent. Epulis quoque celebrandis, et quando foedera feriebantur, (26, 30) et in lætis eventis (21, 8) vincula amicitiæ contrahebantur, ejusdemque hospitalitatis exemplum præbent historiæ de hospitio peregrinantibus oblato (Gen. 18, 2. 19, 1. 2).[71] Nec a matrimoniis cum Cananæis multum abhorrebant; quum enim Abrahamus Eliezaro vetaret, ne

---

[70]) Quamvis relationes de foedere cum eodem Abimelecho sæpius icto eam ob causam levioris fidei habeantur, quod eadem res sic sæpius repeti videatur, tamen tantummodo jure dubitatur, utrum cum Abrahamo an cum Isaaco an utroque foedus factum fuerit, minime vero, an tale foedus unquam initum sit. Crediderit aliquis, totam relationem mythum esse a nomine loci (Beerschaba) profectum; sed tenendum est, nomina locorum non semper fallere, sæpe vero memoriam rei gestæ vere conservare: atque in hoc casu non negligenda est ea constantia traditionis, qua Abimelechus idem adeoque Picol comes ejus usque commemorantur; (21, 22; 26, 26) id quod satis probare videtur, non de foedere aliquo in universum aliquid confictum esse, in quo nomina contrahentium pro ingenio fingi potuissent, sed traditionem historicam de certo quodam foedere tulisse, quod forsan ob nomen loci in Beerschaba ictum dixerint et mox de Abrahamo mox de Isaaco narraverint.

[71]) Quid veri his relationibus subsit, non heic agitur; ingenium vero ævi etiam in fictis apparet. Nec recentis ævi indolem præ se ferunt; quippe quæ odium alienorum omnino non spirent.

uxor Isaaco e Cananæis duceretur, (24, 2) apparet, alios Hebræos Cananæas ducere solere, id quod etiam exemplo Esavi et Judæ constat.

Quamquam itaque multis in rebus magis magisque ad Cananæos accedebant, tamen et per religionem et per eam cum patria relicta conjunctionem, quam usque fovebant, impeditum est, ne plane cum Cananæis coalescerent.

§ 28. *De religione Abrahami et colonorum.*

Religione scilicet a Cananæis differebant, unum Deum verum quippe colentes. Sic tradit Scriptura. Attamen quæ de indole traditionum de Abrahamo et de more aliis suam religionem tribuendi disputavimus, (§ 22 et 25) hoc præsertim nomine sacram scripturam fide privare videri possunt. Dixerit enim aliquis, Judæos, ex quo monotheismum amplexi essent, Abrahamo deteriorem fidem tribuere noluisse. monotheismum vero a Mose proficisci, qui puriores notiones a sacerdotibus Ægyptiacis acceptas cum populo tanquam cohorte sacerdotum (Ex. 19, 6) communicasset. nomen Dei, quod adhibuerit, aut interpretationem ejus originem Ægyptiacam prodere. quod protinus (Ex. 32) et continuo ad idola colenda redirent, probare, cultum unius Dei novum esse et non ante Mosem radices inter eos egisse.[72]) At quanquam hæc satis bene mouentur, non tamen ultra probabilitatem ascendunt; nec interpretatio no-

---

[72]) *Hartmann* Forschungen über die Bildung rc. der fünf Bücher Mosis p. 140-41.

mini tributa originem ejus probat, nec difficile est, amorem idololatriæ explicare tam e commercio cum Ægyptiis quam e copia Ægyptiorum et Cananæorum, qui ad signa Mosis confluxerunt (§ 45). Contra Moses non novam de Deo doctrinam se tradere professus est; sed patrium Deum coli jussit; nec intelligitur, quomodo obsequium sibi parasset, nisi ad religionem avitam provocasset. Præterea fides in unum Deum tantopere historiæ antiquissimæ Hebræorum [78]) atque ipsius Abrahami intexta est, ut dubitari nequeat, patres Hebræorum jam eam amplexos esse. Sed quomodo atque unde eam acceperint, non liquet. *Michaelis* opinatur, Melchisedechum veritatis ultimas reliquias Abrahamitis tradidisse. (Mos. Recht § 33). Judaica traditio fert, Abrahamum ipsum monotheismum invenisse; nam patres ejus transeuphratenses idola coluisse dicuntur (Josv. 24, 2), necnon Haran, frater Abrahami, (Gen.

---

[78]) Nomina, quæ locis a Jacobo imposita sunt, monotheismi vestigia gerunt. *Bethel* magno cum mythorum consensu (Gen. 28, 19; 35, 7. 15) a Jacobo repetitur, et dissensus quoad tempus atque occasionem, qui his mythis inest, probat, omnino necessarium visum esse quomodocunque originem nominis a Jacobo repetere; ac nisi a Jacobo vere proficisceretur, nescimus, cur non potius ab Abrahamo originem ejus repetierint, quum in historia ejus, magis quam in historia Jacobi expingenda versari soleant. Haud secius nomen *Pnuel* a Jacobo impositum dicitur, (Gen. 32, 20) et præter ea, quæ jam dicta sunt, ad fidem traditionis confirmandam heic accedit, quod eventus, qui in eodem loco Jacobo accidit, per morem a posteris observatum in serie rerum historicarum repositus est.

31, 53) et ii coloni, qui Charris substiterant, (Gen. 31, 19) avitæ religioni addicti erant. Traditio Arabum addit, Azarum, quem patrem Abrahami ferunt, idola fabricasse, (*Herbelot* B. O. sub nomine Azar.) sed hi tam leviter in rebus religiosis fingunt, ut Islamismum ab Ismaele derivent. *Josephus* (Arch. I, 7, 1) narrat, Abrahamum insigni sapientia præditum existentiam et unitatem Dei ex consideratione rerum perspexisse, atque in Chaldæa fidei suorum reformatorem prodiisse. Mutatio religionis ergo Abrahamo tribuitur, id autem non aliud est, quam Abrahamum primum esse, quem unum Deum coluisse, certo constaret. Ferebat tamen vetus et veneranda traditio, fuisse inter primos generis humani auctores, qui, sive revelatione sive natura ducti, Deum unicum verum coluissent. (Gen. 4, 26) Fides inter plerosque obscurata passim propagari potuit. Nec ulla gens aptior erat, penes quam veritas conservari aut sopita reviviscere posset, quam gens Chaldæorum. Patriam habitabant in altis montibus sitam. inter montana notiones religiosæ puriores esse solent; aer nullis nebulis obscuratus mentem sanam esse jubet, majestas naturæ animum excelsa religione imbuit, et simplicitas ejusdem simplicitatem fidei gignit. Ac quamvis plerique Chaldæi fidem avitam missam fecissent, quum Babyloniam occuparent, pauci tamen eandem in patria nova servare potuerunt, ita ut sic ultimæ veri reliquiæ ad Abrahamum pervenire et pro pietate et sapientia ejus excoli possent.

Coloni, auctoritate ducis et forsan etiam vi veritatis ad eandem fidem amplectendam facile duce-

bantur; accedit, quod ipsa migratio nebulas superstitionis dispellit; nam quum gentes suam quæque religionem habere cernantur, fertur animus ad numen cogitandum, quod homines in omni religione venerentur. atque in patria si deos suos pie coluerunt, eosdemque etiam in nova sede sibi adesse sentiunt, concipitur idea Dei locis non adstricti, omnipræsentis et rerum omnium domini. Sed eædem migrationes, quum diversas numen colendi rationes pandant, facile adducunt ad cultum aliorum imitandum, ne quid honoris Deo præstandi linquatur. Sic pius Abrahamus, nihil non Deo præstiturus, quod Cananæos, amicos et pietate non destitutos, (Gen. 20, 11; 21, 22. 23) humanis ac liberorum sacrificiis Deos suos colere videbat, sollicitatus est dubiis, annon etiam ipse filium sibi carissimum unumque spei columen in honorem Dei immolare deberet. (Gen. 22) Juxta Salemum mons Moria erat; antiqua sanctitas loco adhærebat, et vero simile est, hunc locum sacrificiis imprimis dicatum fuisse: itaque sive more Cananæorum sive arctiori sua cum Melchisedecho conjunctione motus, hunc montem Abrahamus elegit, ipse licet tridui itinere remotus (22, 4). Contentionem animi dubitantis describere, non nostrum est;[74]) numine Dei quum meliora videret, pater facinus omisit. Crediderit aliquis, parabolam narrari, in qua pietas Abrahami insigni modo laudaretur, rem vero ipsam historico funda-

[74]) Longas et jejunas Abrahami et Isaaci orationes composuit *Josephus* in Arch. I, 13, 3. 4.

mento carere; vetat autem historia Phoenicum. Tantopere enim hæc Abrahami pietas inclaruit, ut Phoenices tradiderint,[75]) Saturnum, quem Israelem appellant, filium suum unigenitum, Jeoudem ideo dictum, ex Nympha indigena susceptum, immolasse. Confusio nominum probat, non ex S. S. hauriri; consensus in re, factum historicum latere, ostendit. exitum solum Phoenices in honorem Saturni mutaverunt.

Quod Abrahamo accidit, cæteris colonis facilius adhuc accidere potuit; Lothi colonia, nunquam fortasse monotheismo addicta, religionem terræ amplexa est, itemque cæteri omnes, qui a colonia Abrahami discesserunt. Atque idem omnibus Hebræis accidisset, nisi duces sapientes avitam religionem fortiter tuiti essent, et Moses demum in primo loco inter leges fidem in unum Deum posuisset.

§ 29. *Continuatio. Exspectationes Messianæ.*

Quemadmodum doctrina de uno vero Deo fundamentum est veræ revelationis, sic in religione Abrahami aliud erat elementum, quod propius adhuc religionem christianam tangit. Inde ab Abrahamo enim series exspectationum ad Christum usque pertinet. Haud difficilis negotii est explicare, quomodo spes de futura suorum felicitate et potestate penes Abrahamum oriri posset; nam persva-

---

[75]) In fragmento historiæ Phoenicum *Philonis Byblii* in *Eus.* Præp. IV, 16. Vix opus est monere, relationes *Sanchuniathonis* per Philonem tradi.

sio, se unum verum Deum colere, eam excitare potuit, siquidem antiqui omnes crediderunt, pietatem et felicitatem terrenam necessarie esse conjungendas, Deosque suos cultores singulari favore prosequi. Nec majoris difficultatis est probare, verba non ita esse premenda, acsi Deus immediate Abrahamo consilia sua nuntiasset [76]; sed manet inexplicabile mysterium, quomodo Abrahamus spem conceperit, per suos salutem toti generi humano futuram esse. (Gen. 12, 13; 18, 18; 22, 18.) Frustra interpretes miraculum horum verborum tollere studuerunt; sententia aperta est, ea autem discrepat a multis aliis ipsius Geneseos locis, ubi felicitas Judæorum nonnisi per oppressionem aliorum contingere dicitur v. c. 15, 18; 22, 17-18. Etenim in historia Abrahami, qualis in Genesi narrata est, duplicis exspectationis diversissimæ elementa continentur, una est egoistica et particularis, altera excelsa et universalis. Negari quidem nequit, vestigia hujus exspectationis semper nexu abrupto aut impedito adjungi; nam antecedunt aut succedunt ubique alia, quæ ad particularem Judæorum spem pertinent, ita ut universalia, oratione salva, tolli possint. Nihilominus procul abest opinio, eadem a recentiori manu, forsan collectoris Pentateuchi, addita esse; nam quomodo sic in reliquis Pentateuchi libris ne unus quidem locus addi-

---

76) Memoria dignum est, quod oratio sæpius, ubi Deus loquens inducitur, a recta in indirectam mutatur v. c. Gen. 18, 19 "cognosco eum, quod posteris viam Jehovæ servandam tradet, ut Jehova Abrahamo conferat, quod ei promisit."

tus est? et tantopere a recentiorum Judæorum ingenio hæc notio abhorruit, ut per aliam interpretationem sententiam de salute e posteris Abrahami profectura evitare laboraverint [77]), et *Josephus*, (Arch. 1, 13, 4.) his verbis omissis, alteram exspectationem ubique substituerit. In decursu seculorum aliquot viri quidem exspectabant, fore, ut veræ religionis beneficium ad omnes a Judæis manaret (v. c. Micha 4, 2, Hag. 2, 7); sed quum hæç idea particularismo tamen commixta sit, tam clara effata, quam quæ in Genesi adsunt, inde nasci non potuere; et quis quoque ausus fuisset, Abrahamo tribuere, quæ vix et ne vix quidem pauci in populo intellexerant? Quæ quum ita sint, hæc exspectatio ab ipso Abrahamo profecta putanda est, et tam alte traditionibus de eo infixa fuit, ut sequentia tempora eam delere non valuerint. Quomodo vero ab initio Abrahamo oborta sit, frustra quæritur. Quum vero eadem revelationis christianæ primum membrum sit, effectus probat, eam a Deo proficisci. Et suspicari licet, Abrahamo accidisse res, nobis non indicandas, quæ persvasionem excitarent, qua integrum salutis opus nitatur. Mysterium est, ubi aliqua res, magnæ quoad religionem potestatis, vinculo causarum latente, emicat, et S. S. bene usui religioso consuluit, quod exspectationem promissis Dei excitatam dicit; sed sic indicavit simul, originem ejus non historica via inveniri posse.

---

77) v. c. *Onkelosi* Paraphras. ad Gen. 12, 3.

§ 30. *De conjunctione colonorum cum patria.*

Alterum, quo impeditum est, ne coloni cum Cananæis plane coalescerent, conjunctio cum patria et gente relicta erat. Apparet ea, tam quoties nuntii apportati v. c. Gen. 22, 20, quam ubi legati a colonia missi dicuntur. Et magis adhuc hæc vincula conservabantur per nova matrimonia. Etenim insignis cura puritatis stirpis servandæ primoribus fuit. Abrahamus uxorem secum ex Chaldæa adduxerat, et valde timuit, ne Isaaco uxor e Cananæis eligeretur Gen. 24, 3; Rebecca igitur Charris arcessita est. parentibus valde displicuere connubia cum alienis 26, 35; 28, 1, quare et sub prætextu matrimonii Jacobus Charras missus est; nec improbabile est, alios colonos hæc exempla imitatos esse. Attamen et infelix sterilitatis casus et consvetudo continua cum alienis ferebant, ut quoque matrimonia cum eis jungerentur. Quum jam Abrahamus e pellice Ægyptia et alia, (Gen. 25, 1) quæ Cananæa fuisse videtur, liberos suscepisset, quum secunda generatio nullo patriæ relictæ amore teneretur, accidit, ut magis magisque frequens cum patria commercium cessaret. Omnes filii Abrahami ex pellicibus nati matrimonia cum alienis junxisse videntur; Ismael et Esavus quoque alienas duxerunt; soli Isaaco uxor e patria data est. Quum vero Isaacus quoque coloniæ post patrem præesset, hoc distinctionis criterium aliquamdiu adhuc in colonia principali magni æstimabatur.

§ 31. *De colonia per emigrationes diminuta.*

Præter discessum Lothi etiam aliæ migrationes

coloniam ab Abrahamo deductam diminuerunt. Filii, quos Abrahamus ex Ketura suscepit, (Gen. 25, 1-2) a patre ipso orientem versus dimissi sunt 25, 6. Legitur, eos donis a patre donatos esse; ad dona vero etiam servi pertinebant, et quum nonnulli horum filiorum integris populis postea nomen imponerent, credendum est, eos non exiguam hominum copiam duxisse. Ismael quoque patria tentoria reliquit populumque in deserto, Paran dicto, condidit. Fertur quidem, (Gen. 21, 9. 21) eum solum cum matre abiisse, sed pluribus partibus hæc relatio dubia est. Discessus Ismaelis tanquam ejectio ob odium a Judæis facile describi potuit; nomen Hagaræ historias de fuga ejus componendi materiem ministravit[78]); et narratio de ejectione Ismaelis in c. 21 aliis, quæ traduntur adversatur: nam infantis instar humeris matris impositus dicitur et ab eadem sub fruticem projectus; verum tamen et Gen. 17, 20-25 annos 13 natus ab Abrahamo circumcisus, et 25, 9 cum Isaaco patrem sepelivisse fertur, eisque opponitur, qui patre vivente dimissi erant v. 6. Licet itaque nec inimico modo nec infans e colonia ejectus sit, nihilominus haud probabile est, eum usque ad mortem patris inter suos commoratum esse; id historici enim relationi biblicæ subesse videtur, quod Ismael a patre mature discessit; deinde

---

[78]) Quemadmodum nomen Isaci alibi aliter a risu derivatur, ita *Hagar* (profuga) bis fugisse dicitur Gen. 16, 6 et 21, 9. 21, acsi non satis de fuga Hagaræ narrari posset; unde suspicio oritur, nomen causam esse relationis, aliis vero aliter fugam ejus narrantibus.

hæc erat sors cæteris a pellicibus natis, et diversa vitæ ratio vetuit, quo minus cum patre versaretur. Quum itaque uxorem Ægyptiacam, haud annuente Abrahamo, duxisset, vincula sponte solvebantur, prouti magis cum peregrinis consvevit. Haud procul vero discessit et facillime sic ultima officia patri cum Isaaco præstare potuit. Ab hæreditate exclusus, tamen non vacuus abiisse putandus est. Colonia sic quoque diminuta est eis, qui cum Ismaele discesserunt.

Quum vero interea novis partibus et peregrinis accedentibus (§ 20. 23. 27. 30) aucta esset, quum nec accessus nec decessus certo constent, numerus civium, moriente Abrahamo, indicari quidem nequit; facile verō creditur, eum eundem fuisse, ac quum Lothus primum discessit. Isaacus restantibus præfuit; quoniam vero filius, qui in colonia manebat et, patre senescente, eidem præfuisse videtur, intime cum indigenis conjungebatur, indies coloni propius ad Cananæos accesserunt.

§ 32. *De indole relationum de rebus Isaaci privatis.*

Descriptis itaque, quantum per fontes licuit, et rebus, quæ gestæ sunt, et statu coloniæ usque ad finem vitæ Isaaci, superest, ut rationes reddamus, cur nihil acceperimus eorum, quæ de Isaaco ipso narrantur.

Isaacus minoris momenti Judæis fuit, utpote qui in transitu ab Abrahamo ad Jacobum positus erat. Per Abrahamum initium populi condendi factum erat, sub Isaaco res pessum ibant, per Jacobum demum ea colonia adducta est, e qua populus

ortus est. Quamobrem haud mirum est, historiam peregrinam adhuc minus de Isaaco narrare.[79]) Neque multa de eo S. S. refert, quum historia filiorum ejus nomen patris obscuraret. Uxorem ex stirpe patria habuit, ex qua Esavum et Jacobum suscepit. Cætera vero, quæ traduntur, repercussam fatorum Abrahami imaginem exhibent: uxor initio sterilis, promittente Deo, concepit; (25, 21) ipse, fame urgente, in Ægyptum proficisci decrevit; tamen non profectus est. (26, 1-2) Abimelechum veritus, Rebeccam sororem esse perhibuit (26, 7-9); litibus quibusdam compositis, foedus cum Abimelecho fecit (26, 28); messiana promissa ei repetita sunt (26, 4. 5. 24). Quibus bene perspectis, *Josephus* (Arch. I, 18) pleraque, quæ de Isaaco feruntur, omittenda putavit; de sterilitate Rebeccæ, de dissimulatione matrimonii et de promissis ei repetitis nihil narravit. Et re vera historici generis non aliud habendum est, quam quod Isaacus non e Palæstina profectus est et cum Philistæis mox lites habuit, mox foedera icit.[80]) Cætera omnia ad filios

---

[79]) *Phoenices* eum cum Jacobo confuderunt, (§ 28) et *Melo* haud secus, quum tradat, filium Abrahami, a risu dictum, duodecim filios procreasse. *Eus.* Præp. IX, 19.

[80]) Nec tamen inficias ibimus, historiam de foedere cum Abimelecho icto difficultatibus haud levibus premi. Nam etiamsi idem Abimelechus vivere potuerit, qui cum Abrahamo foedus fecerat, aut alius, eodem nomine (forsan titulo) dictus, eum exceperit, tamen offendit, quod Isaacus loco nomen dedisse dicitur, (26, 33) quod Abrahamus ei jam imposuerat. (21, 31). *Josephum* haud fugit contradictio: quare in foedere Isaaci narrando no-

spectant, et latere non potest studium, quo omnia composita sunt ad explicandam potentiam, quæ Jacobo et proli ejus contigit. Duo momenta potissime continentur, emtio primogenituræ et subreptio benedictionis patris. Quum vero historia externa neutrum tetigerit, et *Josephus* adeo illud, fortasse indole offensus, omiserit, ad superiorem crisin solam judicium revocandum est; consilium narrationum apertum est, et quum opinio de Deo solis Israelitis favente aliosque odio habente omnem agendi rationem defendat, qua consilia Dei, ut putant, promoveantur, non mirandum est, originem potestatis populi Dei, postea proponi potuisse in involucro, notionibus moralibus non admodum conveniente.[81]) Id historici vero inde apparet, Esavum fuisse natu majorem, Jacobum vero minorem; quum opus esset tantis apparatibus ad meliorem hujus sortem explicandam.

Quæ quum ita sint, nuda facta frustra quæruntur, certumque hoc solum manet, Jacobum, lite cum

---

minis loci mentionem non fecit, et cætera quoque non premenda judicavit: nam quamquam S. S. et Picolum et Achusatum Abimelechum comitatos esse refert, Josephus modo illum commemoravit, qui solus comes fuerat, quum foedus cum Abrahamo junctum est (Gen. 22, 12). Egit ergo, acsi nullum utriusque discrimen historico observandum esset. cf. ea, quæ § 27 not. 70 dicta sunt.

81) Est tristis hierachiæ et religionis imperfectæ sequela, quod ad consilia et jussa, ut credunt, Dei nullum remedium reprobandum putatur. Persecutiones hæreticorum, propagatio religionis christianæ per arma, et historia Jesuitarum satis exemplorum ministrant.

fratre oborta, domum patriam reliquisse Charrasque se contulisse, dum imperium coloniæ penes filium natu majorem maneret. In dies vero mutabatur facies rerum; Esavus, agricultura et re pecuaria spretis, milites sibi circumdedit et coloniam magis magisque cum indigenis coalescere passus est.

Cap. III.

Historia coloniæ a Jacobo deductæ tam in Palæstina quam in Ægypto, necnon historia Josephi.

---

§ 33. *De deductione coloniæ Jacobi in Palæstinam.*

Quum jam colonia Hebræorum animam agebat, et ultima originis peregrinæ vestigia magis magisque exstinguebantur, nova colonia e patria deducta est. *Jacobus*, e patrio tentorio profugus, Charris multam familiam comparaverat; et dissidio cum Labano orto, ad natale solum redire decrevit. Ducebat non exiguam hominum copiam, gregem vero maximum. Traditur, eum fratri doni instar 550 armenta et pecora misisse, (Gen. 32, 14-15) et quamvis numero non fides maxima haberi possit, apparet tamen, posteros credidisse, gregem, quem duceret, tantum fuisse, ut talia dona offerre posset. Grex ipsius itaque facile 5000 pecorum numerasse putatur; quod

si inde numerus hominum colligitur, facile 500 viri fuisse creduntur. Eos numero validos fuisse, quoque inde constat, quod urbem Sichemitarum impune vastarunt (34, 26 sqq. 35, 5); quo facto, simul opibus et hominibus aucti sunt.[82]) Duo ipsius itineris vestigia nominibus locorum infixa servata sunt: Machanaim et Succhoth, loca trans Jordanum sita, ab adventu coloniæ Jacobi nomen trahebant. Gen. 32, 2;[83]) 33, 17. Jordano trajecto, juxta Sichemum tentoria fixa sunt; Jacobus agrum a Sichemitis emit, (33, 19) et fortasse ibidem habitare decreverat; sed, foedere perfide a colonis rupto,[84]) ad regiones, ubi reliquiæ coloniæ Abrahami habitabant, profectus est.

Antequam vero Jacobus natalia loca revisit, religio, quæ sedes patrum cingebat, restituenda fuit. Coloni scilicet Aramæorum idololatriæ omnes addicti erant, uxor ipsius Jacobi penates Labani subripuerat [85]) (Gen. 31. 19); Jacobus vero fidei avitæ te-

---

[82]) Sichemitis victis, agros eorum occuparunt, atque inde factum est, ut filii Jacobi greges circa Sichemum et Dothan pascerent, quum tamen Hebrone colonia sedes fixisset. (c. 37, 12. 17).

[83]) Religiosa, quæ nomini subjecta est, significatio confirmat, locum a castris Jacobi appellari; debetur enim arti, qua simplicem cum adventu Jacobi nominis conjunctionem historice traditam evitare studebant.

[84]) *Josephus* (Arch. I, 21, 1) ignominiam rei minuere studens, foedus omittit, addit vero, Sichemitas, vino graves post festum celebratum, interemtos esse.

[85]) *Josephus*, idololatriæ ignominiam a Rachela remoturus, fingit, eam penates abstulisse, ut haberet, quo gratiam patris, si eos persequeretur, impetraret. I, 19, 8.

nax, unum Deum colebat, et suis coli voluit. Jussit idola omniaque idololatriæ vasa sibi tradi, (35, 2) et ducis auctoritate moti omnes idolis valedixerunt (35, 4). Sic demum Hebronem venerunt, ubi Hebræi ab Abrahamo deducti tentoria fixerant.

§ 34. *De conjunctione novæ coloniæ cum colonis ab Abrahamo deductis.*

Relatio vero, quæ his cum novis colonis orta est, densis tenebris premitur. Si Isaacus ante reditum Jacobi mortuus esset, facile cogitari potest, Esavum omnes colonos in suam potestatem traxisse, adeo ut postea eos secum abduceret, quum in desertum proficisceretur. Neque exspectandum erat, Isaacum, Jacobo redeunte, in vivis fuisse; nam visu jam præ senectute privatus (c. 27. 1) et morti vicinus erat (27, 2. 41.), quum Jacobus Charras profectus est; Jacobus annos haud paucos in Mesopotamia transegit; quum itaque reverteretur, pater dudum e vita excessisse putandus esset. Attamen S. S. narrat, Jacobum ad patrem venisse (35, 27), [86]) et quo magis ab eis, quæ antea dicta sunt, abhorrere videtur, eo major est fides historica. Sed qnamquam pater vixit, non inde certum est, colonos, quos Abrahamus duxisset, omnes apud ipsum adfuisse. Est enim relatio, quæ Esavum jam a colonia prima discessisse fert (c. 33, 14-16); alia vero

86) Quod tam breviter adventus narratus est, et quod nil omnino de gaudio patris filium diu absentem accipientis exstat, non fidem loci elevat, nam senio confectus Isaacus spiritualiter jam dudum mortuus erat.

tradit, Esavum demum, patre mortuo, in Seiram profectum esse (36, 6). Quum facile per prolepsin futura Esavi sedes nominata sit, quum et c. 35, 29 (ubi patrem sepelire dicitur) et ratio imbecillitatis patris svadeant sententiam, eum nondum, quamdiu pater superstes esset, discessisse, hæc traditio præferenda videtur. Esavus ergo coloniæ præfuit, cui novam disciplinam dederat. Jacobo cum suis accedenti non hæc coloniæ facies placere potuit; milites, venatores et latrones pacificam Jacobi vitam turbabant; quapropter, patre mortuo, quum Esavus in loca venationi et latrocinio aptiora abire vellet, plerosque cum eo discedere passus videtur, relictis solis eis, quos vitæ genus aut possessio acquisita in loco solito detinerent. Non multis itaque colonia nova aucta est, atque ipsa S. S. hanc rerum conditionem fuisse affirmat, quum nullam omnino hæreditatis ab Isaaco Jacobo traditæ mentionem faciat.

§ 35. *Historia Jacobi et coloniæ in Palæstina.*

Digressa itaque familia Esavi, Jacobus patrios mores acriter tuebatur: rei pecuariæ et agris colendis opera solum data est; [87]) religio avita restituta est, circumcisionem ipse in Mesopotamia non neglexerat, et tam necessaria habita est, ut una hac conditione filiam suam Cananæo traderet. Nihilominus vero coloni cum indigenis magis magisque miscebantur.

---

[87]) Agriculturæ, cujus exemplum in historia Isaaci occurrit 26, 12, nulla mentio amplius fit; sed pro necessitate rei non neglecta putanda est.

Vinculo familiaritatis cum Aramæis per fugam Jacobi soluto, necessitate cogebantur, ut matrimonia cum peregrinis ambirent. Sic Juda virginem Cananæam duxit (Gen. 38, 2); matriomonia cæterorum fratrum non narrantur, sed haud probabile est, eos aliunde uxores arcessivisse, atque ipsum silentium probat, eos Cananæas uxores duxisse. Si huc accessere amicitiæ cum indigenis junctæ, quarum unum exemplum ejusdem Judæ historia ministrat, (Gen. 38, 1. 12) facile factum fuisset, ut et hæc colonia cum indigenis coaluisset, nisi mirando fato e mediis Cananæis erepta fuisset, donec firmius conjuncta in Palæstinam redire posset.

Ipsius Jacobi historia, postquam in Palæstinam rediit, omnino latet, nec mirum, quoniam quieta patriarchæ vita et cura pastoritia sibi usque similis historiam nullam præbent. Domesticæ Jacobi relationes solæ memoriæ proditæ sunt, et tanta fuit Judæorum sollicita in eis exornandis cura, ut *Demetrius* [88]) singulorum filiorum annos et menses natales tradiderit; quum vero et hic et cæteri, qui duodecim Jacobi filios tetigerunt, [89]) aperte Judaicas relationes sequuti sint, nil confirmationis inde peti potest. Historia peregrina Jacobi mentionem non facere potuit, nisi postquam inter peregrinos profectus est, neque Ægyptii annales eum plane ignorant (v. §. 38). A filiis vero gloriam repetit, et jure

---

88) Ex *Alex. Polyh.* ab *Euseb.* Præp. IX, 21. citatur.

89) *Melo* ibid. 19. *Theodotus* poeta ibid. 22. *Arabes* in *Herbelot* B. O. p. 466.

Hebræi eum patrem et conditorem appellant, quum is illius coloniæ deducendæ auctor esset, ex qua populus Judaicus potissime ortus est. S. S. historiam Jacobi subito missam fecit, quum historia Josephi, siquidem religiosa vi et jucunditate plenissima, cæterorum fata obscuraret; eadem vero etiam a parte historica magni est ponderis, quum colonia Hebræorum per fata Josephi in novam terram traheretur.

§ 30. *De indole historiæ Josephi.*

Quemadmodum relationes biblicæ de Josepho tribus diversis partibus constant, sic quoque singulis non est eadem indoles. Prima particula (c. 37) res in Cananæa gestas tanta cum simplicitate tamque accurata singulorum notitia describit, ut veritatis notam, fallere nesciam, ipsa præ se ferat [90]). Locis adfixa mansit memoria rerum, juga et forsan cisternam, ubi facinus patratum est, traditio sera monstrabat. Agmina mercatorum per eadem loca proficisci solita Ismaelitas, quibus Josephus traditus est, in memoriam revocabant [91]). Altera historiæ pars (c. 39-41) res in Ægypto factas continet. In molesta repetitione character poeticus apparet; (c. 39,

[90]) v. c. quum Josephus fratres ad Sichemum non invenisset, obvium interrogavit, an fratres ipsius vidisset; qui tum respondit, eos discessisse dicentes, se Dothan petere; quo itaque profectus, Josephus eos deprehendit. 37, 17.

[91]) *Artapan.* in *Eus.* Præp. IX, 23 narravit, Josephum, insidiis fratrum perspectis, in Ægyptum aufugisse; sed origo mutationis historiæ V. T. aperta est.

14-18; 41, 18 sqq.) adest ars, quæ non dubitat expingere res, quibus nullus testis Hebræus interfuit (c. 39, 14 sqq.); pia consideratio ubique eminet, arguitque, magis ideam quam res historicas spectari; (39, 2, 3, 21, 23) multa a probabilitate abhorrent: Josephus juvenis primum ad Pharaonem deductus consilia dat regi (41, 33) et propter eadem, quamvis satis e natura rei procedentia, summa in imperio dignitate ornatur (41, 40) [92]). Ægyptii somniorum interpretes somnia Pharaonis, quibus nullum simplicius, non interpretari ausi sunt (41, 8) [93]). Denique adsunt miracula, quæ fidem omnem superant: somnia tria et res futuras prædicunt et a Josepho accuratissime explicantur. Quæ quum ita sint, singulorum fides mittenda est, et manet modo hoc, Josephum mirabili fato a servitute ad magnam potentiam evectum esse; in Ægypto vero, ubi sapientia arcanorum magni habebatur, nulla via ad honores brevior visa est, quam ars divinandi. Tertia historiæ pars, ubi congressus Josephi cum fratribus describitur, imprimis orationes continet, quas ipse auctor non facile historice intelligi voluit, sic v. c. 43, 6 dicitur Josephus interrogasse, quod in narratione c. 42 non interrogaverat [94]); continet præterea cogitata

---

[92]) *Joseph.* Arch. II, 5, 7. in historia Josephi admodum profusus, descriptionem honoris Josephi brevissime absolvit; num parvam rerum fidem sensit?

[93]) Monemur somnia Nebucadnezari, quæ ideo nemo interpretari potuisse dicitur, ut locus esset interpretationi Danielis. Dan. 2.

[94]) Quomodo orationes tales, mentem loquentis exprimentes, ab historico vero compositæ, pro arbitrio ejusdem va-

et sensus, quæ experientiam fugiunt v. c. 42, 9. Est ergo narratio ab ingenio referentis profecta, cui nihilominus rerum factarum cognitio subest. Sic hoc loco eventa ipsa satis certa sunt, adventus scilicet fratrum iteratus et migratio totius coloniæ, Josepho invitante.

§ 37. *De rebus a Josepho in Ægypto institutis.*

Quum privatæ Josephi res traditionum colore expictæ in veram historiam mutari nequeant, narranda nobis restat publica ejus vita, a qua etiam adventus Hebræorum et fata eorum in Ægypto pendent.

Insigni dignitate ornatus, Josephus frumentum in loca publica cogere coepit; utrum famem prævidерit, an prudens calamitatem famis averruncare voluerit, dici nequit; somnio Pharaonis et sua interpretatione vix commotus est; inedia vero haud raro Palæstinæ ingruebat. Quintam proventus partem poposcit Gen. 41, 34. 49, et quum primi anni fertilitate insignes essent, magna frumenti copia collecta est. S. S. haud narrat, utrum hæc fertilitas solummodo sponte naturæ acciderit, an per vires humanas adjuta sit. Sed quoniam Josephus e gente agriculturæ perita oriundus erat, et commoda agriculturæ bene institutæ intelligebat, facile potestate sua usus creditur ad agriculturam Ægypti in melius mutandam. *Artapanus* in historia Judæorum narrat, Josephum agriculturæ, communione agrorum

---

rientur, ostendit exemplum *Josephi*, qui eas aliter reddit, maxime auctas et vi et concinnitate privatas. v. c. Arch. II, 6. 8.

et oppressione rusticorum impeditæ, insignem curam dicasse, agros singulis assignasse, inculta loca coli jussisse et mensuras (ad hæc opera necessarias) invenisse [95]). Quum auctor relationis nec a S. S. nec a traditione Judæorum [96]) hæc hauserit, dubium est, an fonte fide digno usus sit. Quoniam *Herodotus* (II, 109.) eadem ipsa a Sesostride instituta dicit, suspicio oritur, Artapanum res a Sesostride gestas in Josephum transtulisse; sed haud minori jure suspicari licet, Ægyptios instituta Josephi, peregrini, Sesostridi suo tribuisse. Nolumus urgere, quod ille Sesostris, de quo Herodotus locutus est, Sethos esse videatur, qui in seculo 14 proxime post exitum Judæorum regnavit, et qui itaque institutiones Josephi, per seditionem et bella turbatas, restaurando auctoris laudem sibi comparare facile potuerit; nam res ab antiquiore Sesostride gestæ cum historia Sethosis confundebantur; illi ergo diu ante tempora Josephi regnanti, ista rei agrariæ cura fortasse tribuenda est. Quicunque vero ille Sesostris esse putetur, probabile tamen omnino est, Josephum quoque de agricultura Ægypti bene meruisse, institutis utriusque postea in alterutrum solum translatis. Nam quod ad Josephum attinet, magna rei probabilitas satis testimonium Artapani corroborare videtur. Ipsa S. S. et fructum curæ Josephi commemoravit, et simillimæ Pharaonis curæ mentionem non omisit; ete-

---

95) Per *Alex. Pol.* in *Euseb.* Præp. IX, 23.

96) *Josephus*, qui sollicitus gloriam suorum traditionibus augere solet, de Josepho nil habuit addendum II, 5. 7.

nim quum homines pecuariam facientes in Ægyptum venirent, rex occasione usus dicitur, ut rem pecuariam per colonos in patria emendaret (47, 6). Quod vero curæ erat regi, idem quoque Josepho fuit, ideoque probabile est, Josephum agriculturæ æque prospexisse, atque hac ratione fami subsidium parasse.

Quemadmodum Josephus agriculturam erexit, sic rei pecuariæ consuli voluit, quum patrem et fratres in Ægyptum vocaret. Quamvis enim amor et cura suorum Josephum incitare possent, ut Hebræos in Ægyptum arcesseret; tamen parum vero simile est, administratorem strenuum et commodi publici studiosum tot homines in fines traxisse, eo consilio tantum, ut bonis terræ fruerentur; nec magis probabile est, Pharaonem eosdem ea conditione admisisse. Ostendit vero leve consilii vestigium, quod in Gen. 47, 6 superest, eos invocatos esse, ut pecuariæ præessent [97].

---

[97]) Siquidem narratur, Pharaonem Josepho dixisse, ut viri periti e colonis, si qui adessent, pecori regio præficerentur, (Gen. 47, 6) nobis persvadere non possumus, hanc relationem e superbia Hebræorum profectam esse; (*Hartmann* Forschungen über den Ursprung ꝛc. der fünf Bücher Mosis p. 432) nam primum dubitatio Pharaonis non honori cedit Hebræis, deinde desideratur splendida muneris Hebræis traditi descriptio, quæ sic haud defuisset; quapropter potius statuendum videtur, Hebræos ipsos verum invitationis consilium dissimulare studuisse, ut adventus in Ægyptum merum beneficium Josephi haberetur. Accidit autem, ut aliqua veri scintilla, invito quasi auctore, emicaret, quum Pharao loquens induceretur.

Josephus denique alio quoque negotio occupatus fuit, nimirum ut potestatem regiam augeret. Annona usus, cives omnes regi tributarios et servos addixit, (Gen. 47, 25) et, quo imperium confirmaretur, incolas in novas sedes transtulit, eisque novos agros colendos distribuit (Gen. 47, 21); quintam proventuum partem, jam antea usurpatione exactam, ex pacto regi dari jussit. (47, 26.) Sacerdotibus solis parcebatur, quum casta eorum potentior esset, quam ut regi se subjiceret. Religio terræ non violata est pro indulgentia Hebræis tunc temporis solita; (v. § 25) sed et adventu hominum, qui fidem terræ non amplectebantur, et dura servitute, qua populus a rege pressus est, sacerdotum potestas detrimentum non leve cepit.

Novis Josephi institutis nec populus nec sacerdotes delectari potuerunt. Pastorum quæstus Ægyptiis invisus erat, admissio peregrinorum semper odium movet; potestas regia haud circumscripta facile in detrimentum populi a rege futuro adhiberi potuit. Si rex opera exstruendi cupidus sceptrum teneret, putandum est, eum civibus tanquam servis usum esse, templaque ob gravitatem laboris desolata stetisse ac religionem neglectam fuisse. Non mirum itaque, si ævum, quo Josephus et peregrini pastores florebant, Ægyptiis et sacerdotibus maxime odiosæ memoriæ fuerit, neque aptiori nomine designari potuit, quam si ævum diceretur, quo *pastor ille greges in terra pavisset.*

§ 38. *Continuatio. Relatio Herodoti.*

Atque hanc ipsam notam gestat seculum [98]), sacerdotibus Ægyptiis vix nominandum. "Reges ejusdem præ odio Ægyptii nominare plane nolunt, sed et pyramides (ab eis constructas) appellant a Philiti pastore, qui eodem tempore greges per illa loca pascebat (*Herod.* II, 128)." Nolumus in nomine *Philitis* argutari [99]), indigenæ peregrino novum nomen imponunt, et forsan lingva Ægyptia aptam ejus explicationem ministrare potest. At quam demum ob causam seculo, quo pastor greges in terra pascebat, tanta ignominia inhæret? Cheops, qui a *Diodoro* (I, 63.) Chembes appellatur, et Chephren regnarunt; non tamen soli, quum duo fratres per 106 annos regnare nequeant [100]); inter reges vero hi continui maxime inclaruerant. Illi vero populum a sacrificando arcebant, deinde omnes Ægyptios laboribus molestis addicebant, (*Herod.* II, 124–127) donec populus ad extremum afflictus negotiis et sacrificiis a Mykerino redditus est (ibid. 129). Additur etiam, templa clausa fuisse, sed quum nulla nec religionis nec sacerdotum oppressio commemorata sit, credendum est, templa ob religionem

---

98) Seculum apte tempus commorationis, utpote tribus generationibus absolutæ, dici, infra patebit § 54.

99) Philistæorum nomen referre videtur. Si vel Philistæi non cum Hebræis venerint, hi tamen e Philistæa egressi erant, et Philistæi Ægyptiis notissimi erant.

100) *Herod.* 2, 127. fratres fuisse dicuntur. *Diodorus* (1. 64) quidem narrat, Chembem filium esse Cheopis, sed ne sic quidem difficultas sublata est.

neglectam, non pressam, deserta et clausa fuisse [1]. Ea ergo est hujus seculi tristissima facies, quod reges civibus servorum instar utebantur, idque accidit tempore, quo Philitis pastor greges in terra pascebat; ille pastor ergo peregrinus et tanta pars rerum, quæ fiebant, fuit, ut totum seculum ab ejus nomine appellaretur. Apparet simul, imprimis sacerdotes oppressionem illam indignatos fuisse; hi ergo potissime mutationem rerum moliti putandi sunt. Jam vero per sacerdotes ille rex motus est, qui Hebræos in locum populi substituit et laboribus eisdem addixit (infra § 42). Porro si consuluntur catalogi regum inter eos, qui proximo seculo ante hunc regnarunt, re vera duo continui reperiuntur nominibus simillimis dicti. pro difficultate, quæ in nominibus Ægyptiacis græce reddendis est, non tamen accurata consensio exspectanda est. prior in catalogis ex Manethone haustis Akencherres, Chebres et Chencheres appellatur; (*Syncel.* p. 72 et *Jos.* c. Ap. 1, 15.) nomen Chebres vero satis accurate nomini Chembi convenit; quoniam et in aliis nominibus littera *m* inserta reperitur [2]; minus vero nomini Cheopis simile est, sed nec multum dissonat, nec similius usquam reperitur. Alter vero Akencheres et Cherres dicitur; quum vero sic idem Chebres dici potuisset, nomen non procul abest a nomine Chephren, et proxime ad nomen Chabryin, quo Diodorus (I, 64.) utitur, accedit.

[1]) Sic jubent verba: *Μυκερῖνον ἀνεῖναι (τον λεων) πρὸς ἔργα τε καὶ θυσίας* II, 129.

[2]) Qui ab *Eusebio* apud *Syncellum* (l. l.) Mephres dicitur, in *interpretatione armenica* Memphres appellatur.

Nusquam vero in annalibus Ægypti duo inveniuntur reges, quorum nomina sic cum his nominibus ab Herodoto et Diodoro allatis conspirent, nisi in unica hac dynastia; et non sine magna vi nobis esse debet, quod hi viri accurate seculo et minus ante eum, qui Hebræos afflixit, regnasse dicuntur.

Quæ quum ita sint, non dubitamus, seculum hoc afflictionis, pastoris dictum, cum temporibus Josephi proximisque post eum conferre. De majori invasione Pastorum, qui Hyksos dicuntur, cogitari nequit, et propter brevitatem temporis, (Hyksos per annos 511 imperabant) et quia tota Ægyptus oppressa dicitur, et denique quia nomina horum regum in catalogo Manèthonis 200 annos fere post ejectionem pastorum Hyksos collocantur.[3]) Sed chronologia etiam nobis multum impedimenti objicit. Herodotus enim et Diodorus hos reges in ordine regum sic posuerunt, ut ad seculum decimum vel nonum a. Chr. eos referre videantur. Herodotus Cheopem scilicet secundo loco ab eo, qui bello trojano coævus erat, collocavit; Chephrenem vero secundum ante invasionem Æthiopum (a. 725) regnasse dicit; et Diodorus eum secutus est. Sed pro eis, quæ de chronologia Herodoti in regibus Ægyptiacis enumerandis monuimus, (§ 14) non multi interest, in quo loco reges reperiantur; plus quam una ratio Herodotum movere potuit, ut reges, antiquiores licet, post Proteum, ad quem Paris venisse dicebatur, commemoraret. Græcus etenim græcis

[3]) Tuthmosis, qui illos ejecit, annos 212 ante Chembem regnavit. *Jos.* c. Ap. 1, 15. *Eus.* in *Sync.* p. 72.

lectoribus consulens festinavit res belli trojani illustrare, ideoque forsan ordinem violavit; aut, nomine Protei et templi Veneris peregrinæ, quod is exstruxit, deceptus, antiquiori regi tribuit, quod acciderat alii cognomini tempore belli Trojani viventi. Quicquid sit, post bellum Trojanum nullus rex simili nomine dictus in annalibus Manethonis reperitur; et Diodorus, Herodotum secutus, ipse monet, de tempore horum regum tam dissentiri, ut alii pyramides eorum 2000 annis antea exstructas esse affirmarent (1, 63 ed. Bipont. p. 187).

Quapropter eo magis chronologiam in hac re seponere licet; ita ut convenientiâ rerum, quæ narrantur, moti, Josephum seculo 15 floruisse statuamus, rege Chenchere sive Chebre s. Chembe, qui in dynastia Eusebii et Africani XVIII. rex duodecimus collocatus est. Idem anno 112 ante eum, qui Hebræos afflixit, regnavit, id quod satis bene relationibus Hebraicis convenit, quæ eos per tres generationes in Ægypto versatos esse ferunt. Aliis vero aliter placuit. Computationem annorum biblicam tanquam normam secuti antiqui chronographi ab anno exitus, quem putarunt, regressi, tradunt, Josephum rempublicam gessisse sub Apophi vel alio rege *Pastorum*, qui Ægypti partem inferiorem a seculo 22 ad 17 tenuere.[4]) Sed, quemadmodum hæc opinio fundamento solido caret, sic etiam relationes Hebraicæ ei adversantur: Rex dicitur Pharao, quod no-

---

4) *Syncell.* p. 69. Ad eandem sententiam accedit *Rask* d. gl. hebr. Zidsr. p. 99.

men Ægyptium atque indigenis regibus proprium fuit, et rex Ægypti appellatur Gen. 40, 1. Josephus pro more Ægyptiorum interprete usus fertur Gen. 42, 23, quod non factum fuisset, si Semitæ Ægyptum tenuissent; idem toti Ægypto præfectus est, et a finibus remotissimis incolas transtulit Gen. 41, 41. 46. 47, 21; Semitæ vero, pastores, qui Hyksos dicuntur, modo inferiorem Ægypti partem ditione tenuerunt (vid. p. 31 not. 43). Josephus itaque non sub his Ægyptum rexit, sed tempore, quo tota terra uni et indigenæ regi parebat. *Perizonium* (Orig. Æg. p. 381-82) id haud fugit, quare censet, Josephum quidem sub regno Pastorum floruisse, hos vero non peregrinos fuisse, sed Ægyptios pastoribus faventes; ea autem sententia, chronologiæ biblicæ et non examini rerum gestarum superstructa, præter alia etiam eam ob rem taxanda est, quod Pastores, aliunde profecti, satis aperte ab indigenis distingvuntur (*Jos.* c. Ap. 1, 14).

§ 39. *De adventu Hebræorum in Ægyptum et sorte, qua ibidem usi sunt.*

Chembe itaque regnante, oppressio illa populi Ægyptiaci coepit. Josepho ipsi tamen non tota afflictio populi tribuenda est: quum vero potestatem nullis limitibus circumscriptam regi tradidisset, hic eadem abusus est, forsan nonnihil commotus impedimentis, quæ populus institutis Josephi objecerit. Annuente rege, Josephus patrem et fratres invitavit, ut in Ægyptum tentoria moverent; et quum fertile Ægypti solum Palæstinensibus ipsisque Hebræis notissimum esset, non dubitarunt morem gerere. Quem-

admodum S. S. in historia Abrahami semper solius Abrahami meminit, quum tamen ille 318 viros duceret, sic quoque Jacobus, filii et nepotes hoc loco soli in Ægyptum proficiscentes commemorantur; quoniam vero omnia sua (46, 1) secum adduxisse dicuntur, tota colonia, quam e Mesopotamia Jacobus duxerat, et ii, quibus colonia in Palæstina aucta erat, in Ægyptum migrarunt. Nec Palæstinensibus cum Hebræis conjunctis, accessus præclusus putandus est, quippe qui rei pecuariæ Ægypti non minus prodesse possent; fame vero urgente, quum Palæstinenses jam dudum ex Ægypto frumentum peterent, (42, 5) haud pauci cum Hebræis abierint, necesse est. Quot vero fuerint, qui ita in Ægyptum profecti sunt, definiri nequit: domus Jacobi circa 70 viros continebat, licet alibi aliter calculi ineantur. (Textus Hebræus 70 numerat, alexandrinus 75, Joseph. 70) Si his uxores et filiæ (Gen. 37, 35) saltem totidem adduntur, domus Jacobi 140 homines numerabat. Et quoniam Jacobus coloniam 1500 hominum in Palæstinam duxerat, ea in tertia, quæ tum coeperat, generatione (Gen. 38, 6) ad 3000 vel 4000 augeri potuerat; [5]) si his aliquot Cananæi annumerantur, facile colonia hominum 5000 in Ægyptum ingressa censetur.

---

[5]) Analogia, quam domus Jacobi præbet, utimur: Jacobus cum 12 filiis Hebronem venit, et 70^{mus} abiit, ergo si 500 viri, quos duxit, (§ 33) æque aucti erant, fere 3000 e Palæstina ducere potuit præter eos, qui in Palæstina ad eum accesserant.

Peregrini liberaliter accepti sunt, et loca quæstui eorum reique per eos promovendæ commodissima eis concessa sunt. Gosen provincia, cujus nomen extra traditionem Judaicam frustra quæritur, colonos excepit. Ab oriente fluminis, Arabiæ affinis (LXX redd. Gesen Arabiæ), pascuis et paludibus abundans, ad littora maris Mediterranei patebat. *Artapanus* eundem locum Kaisan et Kessan urbem appellavit (*Præp.* Eus. IX, 23, 27). Forsan itaque urbs fuit ejusdem nominis, a qua toti regioni nomen cessit. Heroopolis (LXX in Gen. 46, 28), quæ et Pithom, Heliopolisque et Athos (Præp. *Eus.* ll. cc.) in eadem provincia sitæ fuisse dicuntur. Fertur, Judæos urbes et templa condidisse (Athoe et Heliopoli); quum vero eadem opera ad afflictionem eorum referantur, nec mox, nec sponte id egisse putandi sunt; Judæorum scilicet non erat urbes et templa condere, siquidem in Cananæa nusquam id susceperant. Præter pecuariam agros quoque colebant, (Deut. 11, 10) neque improbabile est, Josephum et Pharaonem etiam agriculturæ jam florenti per eos invitandos prospicere voluisse. Communione vitæ cum pastoribus Ægyptiacis consveverunt. Uti Josephus exemplo præierat, filia pontificis Heliopolitani ducenda, sic quoque colligere licet, matrimonia cum Ægyptiis haud rara fuisse. Exempla ejusdem rei adsunt: Lev. 24, 10; 1 Chron. 2, 34. Quum vero Ægyptii eo tempore abominarentur pastores Gen. 46, 34, quemadmodum tempore Hero-

doti odium contra subulcos solos restabat, [6]) factum est, ut non ad conjunctionem cum omnibus Ægyptiorum ordinibus æque pateret accessus. Consortium vero cum eis, qui impuri habebantur, non minus quam despectus religionis terræ contemtum et odium Hebræis excitabant. Per decursum annorum magis magisque exstingvebatur memoria peregrinæ Hebræorum originis, atque a sacerdotibus et Ægyptiis, qui morum patriorum tenaces erant, in unum ordinem cum Ægyptiis pastoribus computabantur, communi nomine impurorum facile dicendi.

Quamdiu reges Josephi recordabantur ɔ: institutiones Josephi fovebant, pastoribus tam peregrinis quam indigenis multus favor contigit. cæteri vero Ægyptii laboribus gravissimis afflicti sunt. Illi, finibus Gosen provinciæ haud continendi, totam terram peragrarunt (Exod. 1, 7), et per tres generationes lautis in rebus in immensum aucti sunt, ita ut demum timorem politicum moverent (Exod. I, 10). Sic contigit sacerdotibus regem novum in suas partes trahere. "Plus quam ullum alium laudant Ægyptii (sacerdotes) Mykerinum" [7]) (*Herod.* II, 129); po-

---

[6]) II, 47. Effecerat fortasse Hebræorum colonia, ut major honestas vitæ pastoritiæ esse putaretur, quum vero illi gregibus suillis non operam dedissent, manserat ignominia subulcis.

[7]) Quod Mykerinus heic dicitur idem, qui a Manethone Amenophis vel Menophis appellatur, pro mutatione Græcis solita non multi est. *Diodorus* eundem Mecherinum appellavit. 1, 64. Omnes in eo conveniunt, eum finem fecisse calamitati, quæ sub Cheope et Chabrye diebus pastoris accidisset.

pulus requiem nactus est, et impuri laboribus eisdem addicti sunt. Jam vero, ut credere fas est, non pyramides exstruebantur, regum vanitatis foetus, sed templa et urbes. Teste *Artapano*; templa Heliopoli, Kessæ atque Athoe ædificata sunt; Kessa urbs Pithomque et Raamses (Exod. I, 11) excitatæ sunt; hæc dicta est a nomine regis, qui, teste Manethone, impuros oppressit.[8]) Alexandrini (Exod. I, 11) Heliopolim addunt, magis tamen, ut videtur, conjecturam quam traditionem secuti. Quousque afflicti fuerint, historia peregrina non tradit, sed relatio Exodi probat, regem summa crudelitate usum esse, quam etiam Ægyptiaca historia non plane ignorat, prouti in sequentibus apparebit.

Subsistimus vero heic, in novo capite exitum Hebræorum pertexturi, quoniam historia Ægyptiaca impeditam hujus rei relationem præbet; monemus vero, nonnulla eorum, quæ jam dicta sunt, ex sequentibus confirmationem historicam habitura esse.

---

8) Menophis enim quoque Rampses dictus est. *Jos.* c. Ap. 1, 26. p. 1202. Si vero Josephus per errorem in h. l. patrem pro avo posuit, urbs a patre Menopheos nomen traxit; is enim Ramesses appellatur.

Cap. IV.

Historia Exitus Hebræorum ex Ægypto.

§ 40. *Relationes Ægyptiacæ examinantur.*

Adest in annalibus Ægyptiacis duplex narratio de egressu quorundam hominum, quæ utraque aliquatenus in Hebræós quadrat. Fuere, qui utramque pro una habuerint, eandemque rem, minoribus mutatis, in utraque narrari putaverint;[9]) sed et nominibus regum et tempore eis assignato et ipsis rebus narratis multum invicem discrepant. Fons utriusque principalis unus est. Utraque enim *Manethoni* debetur, et a *Josepho* in opere contra Apionem servata est; altera tamen quoque ab aliis paucis historicis repetita est. Una (*Jos.* c. Ap. 1, 14.) tradit, pastores, Hyksos dictos, Arabes a nonnullis habitos, subita invasione facta, maximam Ægypti partem tempore Timai regis sine prælio occupasse, eamque, incolis crudeliter oppressis, per annos 511 ditione tenuisse. Quo tempore elapso, per Misphragmuthosim[11]) regem in angustias redacti et in Avarim

---

[9]) Sic *Pricard* an Analysis of the Egyptian Mythology. London 1819.

[11]) Editiones *Josephi* "Alisphragmuthosis" quidem exhibent; sed quum idem Josephi locus bis ab *Eusebio* (Chron. I, 223 et Præp. X, 13) citatus "Misphragmuthosis" habeat, (in ultimo loco tamen nomen aliter vitiatum est), quum

locum munitum pulsi, quum Thummosis[12]) filius frustra munimenta eorum oppugnasset, foedere icto, in Syriam profecti et Hierosolyma condidisse feruntur. — Altera (c. Ap. 1, 26. 32. 34.) tradit, Amenophim regem, sive Deos videndi cupidum, sive nocturna visione monitum, sive oraculo Ammonis jussum, omnes impuros, leprosos, mutilos et impios congregasse et in lapicidinas Arabiæ affines ad alios Ægyptios ibidem laborantes misisse; eosdem dein, seditione facta, et Avari, quondam Pastorum loco, occupata, quum auxiliis a Solymitis aucti essent, Ægyptiis per 13 annos prævaluisse et victoria crudeliter usos esse, donec ab Amenophi et Sethone filio pressi, in Syriam, duce et legislatore Osarsipho, Mose dicto, [13]) secederent, Ægyptiis eos usque ad Syriæ fines persequentibus. Addit *Lysimachus*, eos Hierosolymam condidisse, et *Chæremon*, eos Judæos esse, affirmat.

Quibus dictis, diversitas rei narratæ manifesta cst, nec minus apparet, utra relatio a scriptoribus rerum Ægyptiarum de Judæis egressis intellecta fuerit [14]); ad historicos accedit *Apion*, eo nomine a

in excerptis *Africani* et *Syncelli* p. 70 et 147 idem nomen occurrat, hæc lectio merito genuina judicatur.

[12]) Sic *Joseph* c. Ap. 1, 14, sed § 15 et 26 "Tethmosis;" alii aliter scribunt: in Chronico *Eusebii* (p. 214) et excerptis *Sync.* 62. 69. exstat "Amoses;" in Præp. *Eus.* "Thmuthosis." *Africanus* in excerptis ex Manethone habet "Amos," (*Sync.* 62. 69.) assentiente *Syncello*: (p. 123) "Amosis, qui et Tethmosis."

[13]) Sic *Manetho*; *Chæremon* vero Josephum addit (c. Ap. I, 32).

[14]) *Perizon* Orig. Æg. p. 373. "tantum abest, ut Manetho per *Pastores* voluerit designare nobis Israelitas, ut ho-

Josepho castigatus; *Josephus* solus ex antiquis priorem relationem de Judæis explicavit; et recentiores plerique post eum eandem sententiam tuentur. Quamquam jam insigne pondus tribui debet judicio eorum, qui historiam Ægypti integram cognoverunt, tamen et crisis relationum non negligenda est, ut, si fieri possit, ex reliquiis superstitibus certa demonstratio procedat.

In relationibus vero judicandis, distingvendum est inter ea, quæ, his referentibus, fide digna sunt, atque ea, quæ non item. Ægyptiis referentibus, credenda sunt, quæ intra fines Ægypti, non æque, quæ extra eosdem facta sunt; credenda sunt, quæ inter Ægyptios regi addictos, non æque, quæ in castris hostium evenerunt. Itaque quando prima relatio tradit, ejectos Hierosolymam condidisse, testimonio Ægyptiorum non fides habenda est; nam id demum diu postea Ægyptiis innotescere potuit, et quum bis, 4 fere seculis interjectis cohortes fugientium in eadem loca profecti essent, constare nequiit Manethoni, utra earum urbem condidisset, et vere historia Ægyptia eam utrique tribuit.[15]) Itemque si in altera relatione narratur, impuros rebelles a Solymitis auxilia accepisse, Ægyptiis non temere credendum est, nam sciri

---

rum ille originem ad Leprosorum colluviem et serius longe tempus retulerit."

[15]) c. Ap. 1, 34 Confusionis origo facile inde repetitur, quod pastores ejecti Salem urbem condidissent, ubi Hebræi Hierosolyma condidere; Manetho ipse rem ita sistere videtur, quum primos ejectos Solymitas, non Hierosolymitas dixerit c. Ap. 1, 26.

nequiit regiis, unde rebelles adjuvarentur; atque alia relatio tradit, auxilia iis in eodem loco inventa esse (c. Ap. I, 32). Sacerdotem quendam Heliopolitanum ad rebelles transgressum esse, et Mosem exeuntium ducem et legislatorem fuisse, Ægyptiis constare quidem potuit, sed utrumque unum eundemque esse, non item. Studium et ira relationes ejusdem rei magnopere mutant, nec in ulla re magis quam in numeris militum et hostilium et suorum, multitudine cæsorum et in omni cladis suorum descriptione; eisdemque debetur sæpe color, quo indoles et immanitas hostium pinguntur, et multa denique, quæ religionem alterutrius partis peculiarem tangunt. Hæc igitur, seponenda sunt, ubi agitur de comparatione inter relationes a duobus hostilibus populis profectas.

§ 41. *Continuatio. Examen relationis de Hyksos ejectis.*

In priori relatione ejecti appellantur Pastores sive nomades atque Arabes, et in Syriam abiisse dicuntur; quæ satis accurate Hebræis conveniunt. Sed legitur, eos repente in Ægyptum invasisse, custodiam militum 240,000 in uno loco collocasse et per annos 511 crudele imperium exercuisse, regibus ex suis Memphide constitutis. Tantas vero hominum copias non esse coloniam a Josepho adductam, apparet. Occupatio Ægypti, si vel sine proelio, non convenit historiæ Hebraicæ, ubi coloni pace regis intrasse, diu tolerati et demum oppressi esse dicuntur. Reges e peregrinis creatos esse, non mi-

nus ab historia Judæorum discrepat.[16]) Deinde diuturnitas imperii plane adversatur: per tres generationes Israelitæ in Ægypto versati sunt, (Gen. 15, 16. Exod. 6, 16. 17) non autem per 5 secula. Ne ii quidem, quibus in annis V. T. subsistendum videtur, Manethonem consentientem habent. nam Manetho fere seculum plus imperio Pastorum tribuit, quam S. S. commorationi Hebræorum, et quemadmodum spatium, quod commorationi Hebræorum datur, contrahi omnino debet, sic imperium Pastorum contrahi non potest, quoniam Manetho singulos reges cognovisse et recensuisse videtur. Qua re moti, alii initium imperii pastorum ab Abrahamo et Lotho[17]) repetunt, sed æque a justa chronologia[18]) quam a narratione S. S. de itineribus eorum discrepatur. Probabilis ergo unica restat opinio, alios quosdam, Arabes scilicet et Phoenices, ante adventum Israelitarum Ægyptum occupasse, et Abrahamum cæterosque Hebræos ad eos accessisse, ita ut exitus eis communis fuerit. Cum hac sententia a nonnullis conjungitur ea, quod commoratio in Ægypto fere annos 100 æquaverit. Regnaverant itaque Hyksos fere annos 300, quum Hebræi accedere coeperunt,

[16]) *Perizonius*, qui reges pastores de eis regibus Ægyptiis, qui Josepho et Jacobo favebant, intellexit, (Orig. Æg. p. 372) totam Manethonis de Pastoribus historiam inde fictam censet: sublatis ita cum historia ipsa toto usu et fide Manethonis.

[17]) *Witsius*, *Nicol. Abrahamus.* v. *Periz* O. Æg. p. 370.

[18]) Si anni 430 stricte servantur, tum, servatis quoque cæteris in Genesi annis, Abrahamus saltem annos 600 ante exitum ex Ægypto in eandem venerit, necesse est.

et 400, quum Josephus et Jacobus advenerunt. (*Rask* d. æg. Tidsr. p. 99 et sæpius) Quamvis ita chronologiæ ratio non obstet, tamen multa alia adversantur.[19]) Jam supra (§ 38) probavimus, Ægyptum uni regi et indigenæ paruisse, quum Hebræi intrarent; sed etiam narratio de exitu ejectorum, nimium ab historia Hebræorum dissonat. Reges Ægypti Thebaicæ et superioris, exercitu collecto, contra pastores profecti sunt; non pastores populo mixti a rege pressi sunt. Pastores proelio victi Avarim se contulere, unde, cum frustra ab Amosi obsidione pressi essent, foedere icto, discesserunt. Ubi ergo oppressio, ubi labores molesti ab Ægyptiis jussi, ubi rogationes de exitu a peregrinis factæ, ubi timor politicus, ne terram relinquerent; ubi dux et legislator, ubi persecutio egressorum? In Syriam profecti sunt, idque cum nomine Pastorum unicum est similitudinis momentum. Sed et Philistæi, qui regiones circa Hierosolymam colebant, ex Ægypto egressi erant (v. § 21), et Avaris avita patria ejectorum dicitur. (c. Ap. 1, 26 p. 1200) Quare ejectionem Philistæorum narrari putamus, et *Volnæo* (Recherches sur l'histoire ancienne p. 266 sqq.) as-

[19]) Si argumentum petitur a similitudine nominis Lothi cum nomine Salatis, primi pastorum regis, (*Rask* d. ældste hebr. Tidsr. p. 84) aut a convenientia annorum 205, quos Manetho regibus 6 pastorum tribuit, cum annis inter Lothum et Mosem elapsis (ibid. p. 97 et 98) negligitur, quod Manetho illos 6 non ultimos, sed primos Pastorum reges dixit, qui una cum *posteris* per annos 511 imperassent; Salatis ergo 500 nec 200 annos ante ejectionem regnavit.

sentimur, qui censet, motus maximos inter Arabes, quorum mentionem omnes rerum Arabum scriptores fecerunt, reliquias tribuum victarum patria ejecisse, ut novas sedes extra peninsulam quærerent. Insurgebant vero fortasse simul captivi Phoenices et alii, quos Sesostris in Ægyptum duxerat, et ita intelligitur, quomodo in excerptis Manethonis et Phoenices et Græci aliique pastores imperium brevi ante ejectionem istam arripuisse dicantur. Hyksos itaque dicuntur, sive reges pastores sive pastores captivos interpreteris.[20])

Accidit ejectio Philistæorum fere 393 annos ante alteram ejectionem, ad quam examinandam jam accedimus, et secundo seculo ante adventum coloniæ Abrahami in Cananæam. Hebræis vero, unde essent, sciscitantibus, respondebant Philistæi, se ex "Ægypto *egressos esse*," tacentes sive ignorantes altiorem suam originem.

§ 42. *Collatio historiæ de impuris ejectis cum exitu Hebræorum.*

Historia antehæc narrata probat, quomodo post Josephum plurimi Hebræi forsan et Cananæi Ægyptiis intime immixti terram implerent et odium sacerdotum et suspicionem regis contraxissent (§ 39). Oppressionem hujus populi historia Manethonis in altero fragmento per *Josephum* (c. Ap. 1, 26) servato describere nobis videtur. Fragmentum est, et

---

[20]) c. Ap. 1, 14 p. 1160 et 1158 *Manetho* utramque interpretationem dedit.

deploramus jacturam antecedentium eo magis, quod sic nobis subtracta est descriptio oppressionis indigenarum sub regibus proximis ante Amenophim. Hic autem, religione motus, immundos omnes ɔ: religionis contemtores et homines ob vitium corporis profanos et impios [21]) ex tota Ægypto collegit, eosque partim undis immersit, partim in lapicidinas orientem versus misit, laboribus gravissimis exercendos. Remissione laborum rogata, quum sedem in orientali Ægypto nacti essent, rebellarunt et conjurarunt, ut duci suo sacerdoti, ut dicunt, Heliopolitano, Osarsipho quondam dicto, tum vero Mosi, in omnibus morem gererent; hic autem eis tulit legem, ut nec Deos adorarent, nec ullo animalium Ægyptiis sanctorum abstinerent, ut cum nemine consvescerent, nisi conjuratorum esset, multaque moribus Ægyptiorum maxime adversa. Tum auxiliis Solymitarum aut aliorum, quos ad Pelusium offendebant, aucti, Ægyptiis prævaluerunt, et per 13 annos Ægyptum tenuere, multa crudeliter patrata sunt. Rex vero ab Æthiopia redux, cum filio conjunctus, eos superavit et ad Syriæ fines persecutus est. Sic *Manetho*, *Chæremon* et *Lysimachus*, qui per dissensum in nonnullis probant, se aliis fontibus usos esse, in capitibus rerum vero consentiunt: omissa a Lysimacho dominii mentione, et addito a Chæremone alio

---

[21]) (1, 26) *λεπροὺς και τοὺς ἄλλους μιαροὺς ἀνθρώπους* et (ibid. 32) *ἄνδρας τοὺς μολυσμοὺς ἔχοντας* et (34) *ἀνάγνους και δυσσεβεῖς.* Exemplo regum et pontificum christianorum notio hujus nominis constat.

præter Mosem duce, Josepho scilicet; mutato quoque a Lysimacho regis nomine. Quanta in initio narrationis adsit convenientia cum fatis Judæorum, sponte elucet: non subito aliunde advenerunt, qui oppressi sunt, sed populo mixti ab eodem separantur: quod Ægyptii nec peregrini appellantur, factum est, tam quod per longam commorationem cum parte Ægyptiorum coaluerant, quam quod non soli peregrini quasi ob genus, sed omnes, qui factionis ejusdem erant, ob religionem et odium sacerdotum pressi sunt. In lapicidinis afflicti sunt, idque in orientali Ægypto, quemadmodum Judæi lateres fingere et urbes ibidem sitas exstruere jussi sunt. Adest legislator, non solum Mosis nomine dictus, sed etiam principia constitutionis Mosaicæ proponens. mentio fit submersionis a rege jussæ, (*Lysim.* c. Ap. 1, 34) et omnium consensu in Judæam pulsi abierunt.

At quantacunque sit convenientia, non dissimulanda est discrepantia. Sed tenenda sunt heic, quæ supra (§ 40) de ignorantia facti studioque et ira et mente historici monuimus. Procul tamen abest opinio, relationes discrepantes sic esse componendas, ut ab utraque parte largiendo medium aliquod exeat; in antiquis relationibus sæpe accidit, ut narrentur, quæ conciliari nequeant, sed ea re non ita turbari nos patiemur, ut aut totam rem missam faciamus aut inanes conjecturas sectemur. Sed dissonantiam inter relationes Hebræorum et Ægyptiorum non tantam esse, qualis forsan videatur, ostendere conabimur. Manetho refert, Amenophim eos

ad fines Syriæ persecutum esse, [22]) nulla cladis in mari rubro mentione facta; id vero facile studio debetur, aut confusioni rerum a Sethone gestarum. — Leprosorum mentio ne offendat, monemus, lepram tanquam exemplum impuritatis nominari, et nullo pacto Manetho omnes leprosos fuisse dicit; [23]) morbus ille autem frequens inter Judæos semper fuit; atque accurata ejusdem cognitio, quam testatur Lev. 13. 14, probat, eum jam mature inter eos grassatum esse, id quod etiam patet exemplo Mirjamæ Num 12, 4. 10, ne quid dicam de miraculo Mosi edendo. Exod. 4, 6. 7. [24]) Porro historia *Artapani*, Judæis nullo modo infesta dicenda, fert, lepram ortam esse in Ægypto, quum Judæi ejicerentur. [25]) Et victus pastorum sub coelo Ægypti admodum lepram promovere potuit. — Mens religiosa auctoris Hebræi, quum insigne Dei in Israelitis educendis beneficium laudaret, eum ducere potuit, ut in sola oppressione eorum subsisteret, seposita mentione occupationis terræ per breve tempus; levis

---

[22]) *Chæremon* idem de Sethone filio refert.

[23]) Si omnes morbis impuri essent, parum ad labores idonei fuissent, et p. 1200 sacerdotes seditionis participes et polluti distingvuntur.

[24]) *Joseph* et LXX non leprosam, sed solummodo albam manum Mosis dixerunt.

[25]) Chenephren rex leprâ mortuus dicitur, quod Judæos vestimenta lanea deponere jussisset. quod cæterum Chenephrenem Judæos premere dicit, ex confusione factum putamus, quum non distinxerit oppressionem Judæorum ab oppressione Ægyptiorum, quam Chephren exercuit.

tamen hujus rei umbra superest in relatione de malis Ægyptiorum, deque primogenitis Ægyptiorum occisis et de divitiis Ægypti exportatis. — Servitute vero semel cum egressu juncta, fieri nequiit, quin discessus Judæorum tanquam exitus supplici modo rogatus sisteretur: mansere vero et heic alius conditionis rerum vestigia: Exod. 12, 39 Judæi *ejecti*, et 14, 5 *fugisse* dicuntur. — Quid de auxiliis a Cananæis missis statuendum sit; dubii hæremus: probabilitate tamen omninò non caret, Cananæos sólitæ in Aegyptum proficiscendi cupiditati indulgentes, magna cum alacritate in Ægyptum ruisse, nec a vero alienum omnino est, eos qui venissent, in Ægypto cum Hebræis et conjuratis sic coaluisse, ut egressi unam cum eis gentem constituerint. Quum vero ignorantia facti facile conjecturæ locum dederit, nescio, an magis vero arrideat, si putatur cum Chæremone, incolas quosdam ad Pelusium, Semitici generis, qui jam veniam intrandi ab Amenophi petiissent, arma cum rebellantibus junxisse. [26]) Sed tam eorum quam Ægyptiorum, qui cum Hebræis exiere, non mentio multa fit in V. T. ob divisionem populi pro nominibus patriarcharum studiumque, quo omnes honorem Abrahami avi sibi arrogabant. Attamen Ægyptiorum cum Hebræis junctorum vestigia non frustra quæruntur Exod. 12, 38; Lev. 24, 9; 1 Chron. 2, 34, et inde apidis cultus Exod. 32 et continua redeundi cupido explicari possunt. — Enormes mili-

[26]) Vestigia eorum adsunt 1 Chron. 2, 55.

tum et cæsorum numeri,[27]) necnon calumnia, Mosem esse sacerdotem leprosum, satis facile æstimantur.

Quæ quum ita sint, affirmare licet, historiam hanc, maxime uti Manetho eam exhibuit, in cardine rerum fata Hebræorum referre. eadem vero in nonnullis a relatione biblica discrepat; sed semper ita, ut S. S. aut non contradicat aut obscure adeo assentiatur; exceptis tantummodo iis, quæ studio iræque et ignorantiæ facti plane debentur.

Fuere, quibus hæc convenientia tanta visa est, ut putaverint, Ægyptios odio Judæorum ductos totam relationem composuisse, quum primi Ptolemæorum Judæis admodum faverent. (v. c. *Perizonius* p. 375) Sed quomodo Manetho monumenta antiquæ historiæ consulens figmentum sui temporis cum rebus antiquis sic confudisset? quomodo duumviri alii, Manethonem non secuti, eadem historiæ capita narrassent, acsi figmenta, quæ odio debentur, sibi constare soleant? Porro insunt historiæ Manethonis veritatis indicia: nusquam se Judæorum fata describere diserte affirmat; ingenua simplicitas toti narrationi inest. hostibus imperium per 13 annos tribuitur. Arcte cum reliqua Manethonis historia pericopa hæc conjuncta est.[28]) nec probabilitati ita consulitur, ut in

[27]) Pollutorum 80,000 aut 250,000 fuisse dicuntur, auxiliorum 200,000 aut 380,000: egressorum vero non ultra 200,000. S. S. 603, 550 numerat Num 1, 46.

[28]) Memorantur Solymitæ tanquam antea ejecti; Amenopheos cupido Deos videndi cum eodem Ori regis desiderio confertur; ipse Amenophis satis describitur, ut in catalogo regum reperiatur.

figmento fieri solet, et denique odium illud, unde relatio orta dicitur, tempore Ptolemæorum omnino ignotum est.[29]) Nisi omnis Manethonis fides tollitur, nullo jure in hac relatione dubitatur.

Quibus dictis, adest locus, ubi tempus exitus Hebræorum et historia ejusdem constitui possunt.

§. 43. *De tempore, quo Hebræi ex Ægypto profecti sunt.*

Post Misphragmuthosin et Tetmosin s. Amosin, qui Hyksos ejecit, in catalogo regum Ægyptiorum reperiuntur duo nomine Amenopheos dicti. adsunt in loco 8 et 16 in dynastia, quam Africanus et Eusebius XVIII appellarunt. Ultimum solum intelligi posse, patet; nam Manetho eum cum Oro rege, quem antea regnasse dicit, comparavit (c. Ap. p. 1198); Orus vero Amenophi primo successit. porro filius ei fuisse dicitur nomine Sethos (ibid. p. 1202), quem demum ultimus Amenophis successorem habuit; denique *Josephus* eum annos 393 a Tethmosi distare affirmat, id quod solum in ultimum quadrat.[30]) Quodsi itaque tempus exitus Hebræorum eruere placet, tempus

---

[29]) On peut exagérer les circonstances honorables d'une action quelconque, mais non la supposer entièrement. *Champollion* Annales des Lagides T. 1 p. 9.

[30]) Nescio itaque, quomodo prior Amenophis esse dicatur a cl. *Rask* den gamle æg. Tidsr. p. 100. Idem auctor, Judæos cum Pastoribus exiisse statuens, hanc historiam de Cecrope et colonia, quam is in Græciam deduxit, interpretatus est; quæ sententia præter alias difficultates, quæ ex antea dictis oriuntur, quoque eo nomine parum commendatur, quod Manetho et omnes tradunt, impuros in *Syriam* abiisse.

Amenopheos hujus constituendum est; quod ut fiat, circumspiciendus est terminus fixus, unde computatio exire possit. 1 Regg. 14, 25 legitur, Sisachum Ægypti regem anno 5 Rhoboami regis Judæ contra Judæos profectum esse: annus 5 Rhoboami vero est annus 985 ante Christum.[31]) In excerptis Manethonis frustra Sisachi nomen quæritur: sed in catalogo regum Ægyptiorum a *Syncello* (p. 177) exhibito Susachim loco 62 reperitur; pro sententia nostra de origine hujus catalogi (§ 13), quum inter reges Dynastiæ XIX et XXI adsit, putandum est, eum in dynastia XX regnasse, quæ in excerptis Manethonis nominibus vacua est. Quum vero ultimus sit eorum 4, qui ex ea dynastia repetuntur, colligimus, eum inter postremos regum 12 ejusdem regnasse. Si penultimus vel ultimus fuerit, dynastia XX fere inter annum 980 et 950 regnare desiit. Jam vero si anni totius dynastiæ XX et d. XXI certo constitissent, hi collecti spatium ad Amenophin usque indicassent, quoniam is ultimus dynastiæ XVIII rex esse dicitur. Discrepant vero in excerptis Eusebii et Africani; conabimur autem verum extricare. *Africanus* dynastiæ XX annos 135 tribuit; *Eusebius* apud Syncellum eidem 178, in Chronico armenico vero 172 assignat. frustra crisis *Scaligeri* in hos numeros conciliandos impensa est; quum vero septuagesimus numerus in utroque loco Eusebii reperiatur, et H facile cum B commutari potuerit, Eusebius secum satis consentit;[32]) sed non minus ab Africano discrepat;

[31]) *Rask* d. gl. æg. Zidsr. p. 84.

[32]) Scilicet *POB* et *POH* facile permutantur.

quum vero certior sit authentia lectionis Eusebii,[33]) quum idem, Africano consulto, scripserit, præferenda videtur summa annorum major (172 v. 178). Sic initium dynastiæ XX inter annum 1158 et 1122 ponendum est. Si Thuoris, ultimus dynastiæ XIX rex, re vera uxorem habuit Alcandram et tempore excidii Trojæ vixit, inter hos duos numeros dubitari nequit. — Ante eandem regnaverant reges dynastiæ XIX, quæ in diversis excerptis ita sistitur:

Eusebius in Syncello		Eusebius et in Chronico et in Canone		Africanus in Syncello		Josephus	
1. Sethos	55	1. Sethos	55	1. Sethos	51	1. Sethos	59
2. Rapses	66	2. Rapses	66	2. Raphases	61	2. Rampses	66
3. Amenephtis	40	3. Amenephtis	40 (8)	3. Amenophtes	20		
. . . . .	-	. . . . .	-	4. Rameses	60		
4. Amenemnes	26	4. Amenemnes	26	5. Amenemes	5		
5. Thuoris	6	5. Thuoris, Alcandræ conjux		6. Thuoris	6		
6. Alcander	7		7	7. Alcander	7		
Summa	194		194		209		
est vero	200			est vero	210		

Accedit Chronicon Vetus, quod eidem dynastiæ annos 194, uti Eusebius, tribuit. Conveniunt itaque omnes fere in eandem summam annorum, et quanquam pro consilio nostro parvus dissensus non multi habendus est, conabimur tamen spatium adhuc accuratius definire. Duumviri, qui pariter Manethonem inspexerunt, primum in numero regum discrepant; sed quum Eusebius sæpius reges ignobiles omiserit,

[33]) Lectio, quæ Africano tribuitur, ex ό quadrato oriri potuit: *PΓ* pro *PΠ*.

numerus Africani tanquam major præferendus est. Tamen non 7 fuere; manifestum enim est, ultimum per errorem, sive scribæ sive Syncelli, irrepsisse; nam si ea, quæ Syncellus ex Eusebio se petiisse profitetur, cum ipso Chronico vel Canone comparantur, apparet, nomen Alcandri regis non reperiri; Alcandra vero uxor Thuoris fuisse dicitur. Hanc vero, quum nomen uxorum addi non soleat, Syncellus novum regem esse putavit.[34]) Nec aliter factnm videtur, ut Alcander in excerptis Africani reperiatur, id quod etiam ipsa loci indoles probat.[35]) Restant ergo in catalogo Africani 6 et in illo Eusebii 5 reges. — Discrepatur deinde numeris annorum, qui regibus tribuuntur. Constat vero, moris esse Eusebio accuratissimo annos regum omissorum cum annis proximorum jungere;[36]) jam vero in nostro loco Amenemni plures annos tribuit quam Africanus, omisit vero Ramesem; colligimus hinc, Ramesem regnasse

[34]) Interpres armenius, eodem insolito additamento turbatus, nomen interpretatus est: "vir immanis roboris."

[35]) Locus ita se habet: *Syncell* p. 72. *Θούρις, ὁ παρ' Ὁμήρῳ καλούμενος Πολύβος* ς' ζ Ἀλκάνδρος, ἐφ' οὗ τὸ Ἴλιον ἑάλω ἔτη ζ; defectus verbi ἔτη ante ς', quod nunquam omitti solet, et mirus casus, quod sextus 6 annos, septimus vero 7 regnasset, offendunt. Facillime vero numerus annorum Polybi pro numero novi regis habitus est, quod Polybo uxor præter solitum adjuncta fuit.

[36]) Sic in dynastia XVIII duos reges cognomines conjunxit, annis vero servatis:

Josephus		Eusebius	
Rameses	1⅓	Ramesses	68
Armeses M.	66⅔		

annos 20 et aliquot menses, atque Amenemnem annos 5 et aliquot menses, ut conjuncti compleant annos 26; iidem ergo censemus, Africanum nomini Ramesis adscripsisse 20 annos, nec 60, *K* scilicet et *Ξ* commutatis per eandem incuriam scribæ, qua etiam anni duo primi vitiati sunt; etenim 66 pro 61 in secundo loco legi jubet concordia Josephi et Eusebii, et 55 pro 51 in primo legendum videtur tam ob constantiam, qua ter huic regi idem annorum numerus ab Eusebio tribuitur, quam ob facilem cum Josepho consensum.[37]) Denique in tertio nomine Eusebii numerus convenientia cum summa, quæ efficitur, commendatur:[38]) qui Africanum mutilavit, perspexerat fortasse, summam nimiam exire, nisi aliquantum numerum aliquem minuisset, et sic 20 pro 40 scripsit. Quæ quum ita sint, summa, quam Eusebius exhibet, præferenda est; (194) quæ si superioribus additur, exit annus inter 1316 et 1352 tanquam annus, quo Amenophis mortuus est. Monuimus supra, rationem Thuoris habitam majorem numerum tueri, quamobrem a vero non procul aberramus, si dicimus, Hebræos in medio seculo 14to ante Christum ex Ægypto egressos esse.[39])

---

[37]) *MΘ* facile ex *MЄ* oriri potuit; non ita *MA*.

[38]) In Chronico quidem 8 pro 40 legitur, sed quum et in Canone et in excerptis *Syncelli* (p. 73) alter numerus reperiatur, satis tuto hanc lectionem Eusebii genuinam dicimus.

[39]) Vulgare Judæorum systema (a *Ganz* propositum) exitum ad annum 1312 refert; quum vero idem restitutionem templi proxime ad tempora Alexandri M. admoveat, modo specie, nec revera nobiscum facit.

§ 44. *De spatio temporis, quo Hebræi in Ægypto commorati sunt.*

Quamquam jam sæpius monuimus, Hebræos in Ægypto fere seculum egisse, heic demum locus est, ubi demonstratio dari potest. Si alia via ad eandem sententiam pervenitur, confirmatur persvasio. Præmittemus igitur conspectum sententiarum aliorum de spatio commorationis Hebræorum in Ægypto. Jam Judæos doctiores non fugit, annos 400 vel 430, quos V. T. actos esse tradit, verum excedere: Alexandrini interpretando eos tam ad commorationem in Palæstina, quam ad illam in Ægypto extenderunt (v. LXX ad Exod. 12, 40). Alii genealogiis insistentes annos 215 commorationi in Ægypto tribuerunt, (sic *Marsham* p. 70 et 89) et utraque arte usi, necnon annis pro semestribus habitis, alii commorationem ad annos 107 contraxerunt.[40]) Nobis vero historiam consulentibus eadem oritur persvasio.

Abrahamus in fine seculi 16ti Chaldæa egressus, quum in Palæstinam venisset, Philistæos Ægypto ejectos deprehendit. nepos Abrahami senex in Ægyptum profectus est; itaque quum quarta agebatur generatio, Hebræi Ægyptum intrarunt, in postrema parte seculi 15ti (c. 1471-50). Quodsi in medio seculo 14to ejecti sunt, seculum et aliquot annos ibidem egerunt. Nec solum hæc flagitat collatio annalium Chaldæorum cum Ægyptiacis; quoque Ægyptia historia sola sententiæ de commoratione per quatuor secula repugnat. Nam si, annis 400 elapsis,

[40]) Sic *Rask* Tidsr. p. 85. 89.

seculo 14to egressi sunt, in seculo 18vo advenissent; tum vero Pastores dominabantur; ita autem e Chaldæa profecti, nec Philistæos in Palæstina invenissent, et ex Ægypto una cum Pastoribus ejecti fuissent. in tantis enim turbis Semitæ Pastoribus affines non remanere potuissent. Eademque Ægyptia historia denique seculi spatium commendat: nam per annos 106 summa erat afflictio Ægyptiis, donec novus rex factioni sacerdotali morem gessit (v. § 38). Quomodo vero hæc cum computatione V. T. conveniant, non hujus loci est probare; in alio capite videbimus.

§ 45. *Quæritur, quinam fuerint, qui ex Ægypto egressi sunt.*

Sequitur ex collatione exitus Hebræorum cum ejectione impurorum, quod egressi non solis Hebræis constiterint. Colonia, quæ, Josepho invitante, in Ægyptum venerat, vix ultra 5000 hominum numeravit, (§ 39) nec per tres generationes in tantam multitudinem, quæ Exod. 12, 37 aut Num. 1, 46; 2, 32; 4 adfuisse dicitur, ii soli augeri potuerant. Quamvis certe tales numeri non multa fide digni habendi sint, tamen numeratio post 3 secula turbulenta instituta, quæ numerum duplicatum exhibet 2 Sam. 24, 9, similem exeuntium multitudinem re vera fuisse, probat. Manetho impuros numero 80,000 fuisse tradit, nec pro fertilitate Ægypti vero dissimile est, Hebræos cæterosque Semitas a Josepho admissos cum pastoribus Ægyptiacis junctos ad tantum

numerum increvisse. Numerosis vero auxiliis Cananæorum aut gentium ad Pelusium habitantium aucti sunt: (v. § 42) denuo Ægypto potiti cum multis Ægyptiis conjuncti sunt, adeo ut multi eorum cum iis abirent: Exod. 24, 38 "cum Israelitis multi alieni ascenderunt." (עֶרֶב רַב) Sic Ægyptia historia nodum solvit, alias solvi nescium,[41]) quando plures quam centum myriades ex Ægypto discessisse feruntur.

Exiere itaque Ægyptii tam leprosi a suis ejecti, quam alii, qui cum Hebræis se conjunxerant; quot vero hi fuerint, dici nequit. Exiere porro cum Hebræis illi, qui arma cum eis in Pelusio junxerant, qui, si Solymitæ fuerint, antiqua amicitia et consvetudine Hebræis familiares erant; si ad Pelusium habitarent, foedere fortasse antea cum Mose juncti erant.[42]) Quicunque vero fuerint, legi Mosis adstricti et in deserto aliquamdiu detenti facile cum Hebræis tam coalescere potuere, ut in patriam reduces non ad suos discederent: contra cupido idololatriæ Phoeniciæ et neglectus institutionum recentium inde explicantur; atque anarchia orta, ad suos fortasse rediissent, nisi hierarchiæ contigisset vin-

---

[41]) Provocatur vulgo ad Semitas a tempore Abrahami et Lothi in Ægypto habitantes, qui cum colonia Jacobi se junxisse putantur; (*Rask* æg. Zids. p. 102.) sed uterque in Palæstinam suos reduxit, et nonnisi ex confusione rerum alicubi mentio fit hominum, semper paucorum, in Ægypto manentium (§ 23.)

[42]) *de Wette*, Lehrbuch der hebr.-jüd. Archæol. §. 24: "vielleicht entwarf Moses den Befreiungsplan in der Wüste in Verabredung mit den arabischen Israeliten."

cula civitatis laxa contrahere. Diversitas vero generis et nationis exstincta est per institutum quoddam in populo fundamentale: quum enim dux ex Hebræis esset, Hebræis primus locus assignatus est, et populus pro conditione vitæ patriarchalis secundum nomina eorum divisus est, a quibus Hebræi suam originem trahebant. Duodecim constituti sunt duces a nominibus filiorum et Nepotum Jacobi appellati; his subdita est plebs tam Hebræa quam aliena, eademque ratio nomen filiorum eis imposuit.[43]) Quo nomine factum est, ut memoria peregrinæ originis evanesceret, et serior traditio omnes Abrahamo satos ferret.

Superest memoria magnæ cujusdam circumcisionis susceptæ tempore, quo Hebræi Jordanum transierant Jos. 5, 2-9. Loco adhæsit traditio, et quum in ipso nomine ejus nil sit, quod immediate circumcisionem tangat, abest omnis figmenti suspicio. In colle Gilgal Deus populum denuo circumcidi jussisse dicitur; auctor libri Josvæ commentarium adjungit, monens: intelligendos esse eos, qui, in deserto nati, nondum circumcisi essent; quum vero totus populus in deserto natus putaretur, totum populum circumcisum esse censet. Quemadmodum autem omni specie veri caret, Josvam inter medios hostes totum exercitum circumcidi jussisse, sic quo-

43) Ne quis dubitet, V. T. tam amplam notionem filii admittere, monemus, nomen filiorum Jacobi et Abrahami continuo tribui servis et colonis, quos ducerent, et Esavum patrem Edomitarum ferri, licet ipse jam exercitum 400 militum discedens haberet (Gen. 36, 9. 32, 6.)

quę commentarius nititur opinione, Israelitas 40 annos in deserto egisse omnesque egressos periisse, cujus rei fidem infra examinabimus. Et quis crediderit, Mosem, auctorem legis, passum esse, ut per moram in deserto observatio negligeretur. Restat itaque factum nudum, magnam circumcisionem in Gilgal susceptam esse. Id autem explicari potest, si statuitur, aut Hebræos in Ægypto circumcisionem neglexisse, aut alienos non circumcisos eis intermixtos fuisse. Quamquam sane neutrum probabilitate destitutum est, tamen minus vero simile videtur, Hebræos morem patrium seposuisse; Ægyptios vero et Cananæos circumcisionem eo usque recusasse, credere licet; hos inter Hebræos adfuisse, itaque etiam hæc narratio monstrat.[44])

§ 46. *De duce exeuntium. Historia Mosis.*

Ægyptia historia fert, ducem exeuntium sacerdotem Heliopolitanum fuisse nomine Osarsiph, qui ad hoc genus hominum transgressus nomen mutasset, ut Moses appellaretur. Bene monent,[45]) Manethonem sincerum historicum certa ab incertis distinxisse; sed observandum est, quid certum, et quid incertum habuerit. In uno loco (c. Ap. I, 26. p. 1204) dicit: *λέγεται δ'ὅτι τὴν πολιτείαν καὶ τὺς νόμους*

---

[44]) Interpretatio nominis Gilgal: "removi ignominiam Ægypti," neutram sententiam præferri jubet.

[45]) *Rask* d. gl. æg. Tidsr. p. 101. Idem vero p. 99 non mentem Manethonis assecutus est, quando reddit: "Man siger, at deres Lovgiver Osarsiph, da han gik over til dem, forandrede sit Navn og kaldte sig Moses."

αὐτοῖς καταβαλόμενος ἱερεὺς τὸ γένος Ἡλιȣπολίτης, ὄνομα Ὀσαρσὶφ ἀπὸ τȣ̃ ἐν Ἡλίȣ πόλει θεȣ̃ Ὀσίρεως. ὡς μετέβη εἰς τȣ̃το τὸ γένος, μετετέθη τȣ̃νομα καὶ προσηγορεύθη Μωϋσῆς· et in altero loco (ibid. p. 1200): ἡγεμόνα αὐτῶν λεγόμενόν τινα τῶν Ἡλιȣπολιτῶν ἱερέων — ἐξήσαντο. Mosem his ducem fuisse, non incertum habet; nam verba ὡς μετέβη &c. non pendent a λέγεται, sed, sententia priori absoluta, quasi concludendo auctor addit; nomen (ergo) mutatum esse. Itaque incertum relinquitur, an Moses fuerit ille sacerdos; nec aliter in altero loco, "ducem sibi constituerunt, et fertur, eum fuisse sacerdotem" &c. Et profecto multa ratio est dubitandi, Mosem sacerdotem Osiridis unquam fuisse; nam certe Hebræus erat. id probat genealogia ejus clara et brevis Exod. 6, 18-20, sæpius repetita, et confirmationis instar accedit, quod Hebræis primum in populo et suæ tribui primum inter omnes locum assignavit, necnon quod totam institutionem suam antiquæ religioni et historiæ Hebræorum superstruxit. Genere Hebræus non sacerdos fuisse potest; nihilominus religio Ægyptia ei penitus cognita erat, magis quam in peregrino exspectare par est: etenim non solum popularem religionem multa spirant;[46]) sed etiam doctrinæ sacerdotum sive perfectiorum vestigia nonnunquam occurrunt.[47]) Oritur sic opinio, Mo-

---

[46]) v. c. lavationes, circumcisionis necessitas, discrimen ciborum, separatio Levitarum, templa clausa, arca foederis, candelabra sacra, panes proposititii &c.

[47]) v. c. explicatio nominis Jehovæ, si non nomen ipsum; symbolica numinis repræsentatio per Cherubim ad mo-

sem sapientiæ sacerdotum haud imperitum fuisse aut sociis usum esse ejusdem peritis. Jam vero Manetho Osarsiphum sacerdotem ad impuros transiisse refert, et alius auctor Petesiphum, *ἱερογραμματέα*, Mosi, qui *γραμματεὺς* dicitur, adjungit;[48]) quare, nescio, an jure colligamus, sacerdotem quendam Mosi adfuisse. Quodsi reputamus, Mosem profugum ad sacerdotem abiisse, filiam ejus duxisse, apud eum consilium suum magnum concepisse; si reputamus, hunc quoque Mosem incitasse et consiliis adjuvisse, (*Artapanus* in Præp. *Eus.* IX, 27) eundem denique ad castra egressorum venisse, instituti novi auctorem; de Jethrone fortasse cogitare licet. Obstat quidem, quod loco habitasse dicitur procul ab Heliopoli remoto, sed traditio hebraica conceptionem legis facile ad ea loca retulisse creditur, ubi postea promulgata est. Tamen si ideo hypothesis levior videatur, nihilominus sacerdos Ægyptius Mosi adfuisse putandus est, et quemadmodum Ægyptii hunc potissime commemorarunt eique honorem legislatoris tribuerunt, sic Hebræi suum solum nominarunt.

Quæ de Mose a græcis auctoribus circumferuntur, vix digna sunt, quæ commemorentur. Tradunt,

---

dum Ægyptiorum compositos, denominatio: populus sacerdotum ɔ: qui ad nudam veritatem cognoscendam admissi sunt.

48) *Jos.* c. Ap. I, 32. Non multi est, quod *Chæremon* in h. l. eum Josephum interpretatur, seductus similitudine nominum, nec pluris est, eum Petesiph nec Osarsiph dici, nam uti nomina Ægyptia semper incerta sunt, sic h. l. modo urgemus, quod *ἱερογραμματεὺς* inter Hebræos magnas partes egisse dicitur.

eum machinas belli et pacis construxisse, bellum cum Æthiopibus gessisse, Ægyptum in 36 præfecturas divisisse, litteras et philosophiam invenisse, auctorem cultus animalium fuisse &c.;[49]) quæ si cum Judaicis figmentis de venustate, de præcoce sapientia, de auguriis rerum futurarum, prudentia in bello &c. (Arch. 2, 9, 12.), conjunguntur, apparet, quam aptum duxerint nomen Mosis, ad quod nihil non præclari et magni referrent. Ea enim est natura hominum, ut in vita magnorum virorum describenda lacunas mirandis expleant, et secutæ gloriæ auguria inde a nativitate quærant. arripiuntur obvia, et, si historia ævi aut etymologia verbi materiem narrandi ministrent, integra infantiæ historia oritur.[50]) Sic quoque ex parte factum est, ut historia Mosis biblica, antequam dux populi prodiit, in hodiernam formam composita sit; eadem vero per insignem moderationem et probabilitatis finibus nondum excedens, antiquitatem venerandam præ se fert, et immensum quantum præstat cæteris relationibus, quæ aut aliis adversa aut rationi contraria contineant.[51])

---

[49]) vide hæc ab *Artapano* et *Eupolemo* narrata in Præp. *Eus.* IX, 26. 27.

[50]) Nomen Mosis Hebræis explicandum ad radicem מָשָׁה ducebat, et historia mentionem fecit immersionis a rege jussæ. *Gesenius* cum Josepho aliisque originem Ægyptiam nomini esse censet (Lexicon Hebr.), sed originem nominis ex historia infantis probare, circulus est. Quid? si ob formam participialem ex מוֹצָא pro מוֹצִיא aut ex מוֹשֶׁה derivetur, titulo in nomen mutato?

[51]) Sic Græci cultum animalium ei tribuerunt; Ægyptii vero ferunt, eum animalibus sanctis non parci jussisse.

Taceat ergo historia de rebus, quæ infanti et puero accidere. juvenis Ægyptium interfecisse dicitur, ultor injuriæ suis illatæ. (Aliquantum aliter res narratur ab *Artapano* in *Eus.* Præp. IX, 27.) Quamvis *Josephus* pro studio, cui nonnunquam indulget, cædem omiserit, ea tantopere cum rebus, quæ secutæ sunt, cohæret, ut nullus locus dubio sit. Hæc enim causa erat, cur ad Jethronem fugeret.

§ 47. *De rebus, quæ proxime ante exitum evenerunt.*

Consilio maturo, ad suos rediit; singula vero, quæ tum evenerunt, non facile eruuntur. Destituimur relationibus exteris; nam quicunque historiam exitus descripserunt, aperte S. S. secuti sunt. *Artapanus* et *Josephus* nonnullis mutatis, omissis aut ex natura rei colligendo additis, narrationem Mosaicam repetierunt; *Ezechiel* Tragicus (Præp. *Eus.* IX, 28. 29.) forma poetica, sæpe sublimi, res narratas induit; sed, quum difficile sit poetica in poesin mutare, sæpius narrata simpliciter reddidit. Destituimur ipsa Ægyptia historia, quæ solummodo narrat, hostes per 13 annos sacra Ægypti profanasse et nihil non crudelitatis patrasse. An hujus belli a Mose gesti memoria inter Hebræos servata sit, qui eum Æthiopes fugasse dicant, definire non ausim; tantum ex annalibus Manethonis apparet, bella cum Æthiopibus

---

Sic *Jos.* Arch. 2, 9, 7 narrat, Judæos magnam spem in Mose infante posuisse, Ægyptios vero eundem timuisse, contra *Exod.* 3, 13.

brevi antea non gesta esse;[52]) quum vero narratio Mosaica de bello contra ipsos Ægyptios gesto cogitare vetaret, quippe quæ servitutem et exitum intime conjunxisset, traditio de bello a Mose gesto Hebræis aliter non intelligi potuisse videtur. — Sed ipsa res satis magnas difficultates movet. etenim quomodo Moses, cui nil aliud quam exitus agebatur, arma contra Ægyptios tulisset? Putamus, Mosem sane *noluisse* imperium in Ægypto condere, sed plebs exitum recusasse videtur, et, demum periculis urgentibus, eam educere contigit. Sic jubent annales Ægyptii. Aliter S. S. Sed in eadem frustra quæritur nuda veritas. Plures relationes non concordes eandem rem describunt,[53]) bis narratio de novo inchoatur (c. 4 et 6), apertus in singulis adest dissensus,[54]) poeticus et religiosus typus ubique historiæ prævalet. Quibus bene perspectis, *Josephus* has relationes magna cum libertate tractavit; mutavit arbitrarie et postulata Mosis et responsa regis,[55]) miracula auxit[56]) et orationes omnes ipse compo-

---

[52]) Amenophis nimirum confugit ad regem Æthiopum, sibi beneficiis obstrictum.

[53]) In Exod. 5 primus Mosis ad regem accessus sine miraculis narratur, in c. 7 idem cum eis.

[54]) Moses dixerat 10, 29, se non amplius faciem Pharaonis visurum esse; c. 11. 8. post iteratum colloquium "exiit a Pharaone ira ardente."

[55]) Sic rex motus dicitur malis, quibus nulla vis tributa est in Exod. Arch. 2, 14, 1. 5.

[56]) Arch. 2, 14, 4 grandinem majorem fuisse, quam quæ in septentrione cadat. cfr. Exod. 10, 18; item Arch. 2, 14, 5. multos præ caligine et 2, 14, 3 præ peste culicum exspirasse.

suit. Docet autem exemplum Josephi et aliorum, qui historiam exitus repetierunt, quomodo unusquisque sibi licitum putaverit, novam rerum expositionem conari, dummodo mens et idea religiosa salvæ manerent. Idem vero Josephus in narrando contradictiones evitat, et res ipsas rationi commendare studet,[57]) indicans ita, se interdum res vere factas describi credidisse. Nec aliter sana crisis judicari jubet: adsunt enim, quæ accuratissimam cognitionem prodant,[58]) et mens religiosa populi Judaici testimonium est rerum numine Dei præsente in Ægypto factarum æternum et fallere nescium. Sed inanis est labor in singula inquirere; quot calamitates narrantur, totidem testimonia de eadem re: Deum per potenter facta Hebræos ex Ægypto eduxisse. Religiosa vero mens Hebræorum, inter quos relationes ore tradebantur, typum singulis impressit. mala, quæ accidere Ægyptiis, sive viribus humanis sive Deo natura uso,[59]) eadem a Deo vindice immediate repetebantur; contrahebantur in dies, quæ per intervalla annorum evenerunt; conjungebantur denique cum momento exitus, quæ forsan non proxime antecesserunt.

Attamen etiam sic discordia manet: quo enim hæc

---

[57]) Sic caliginem mortiferam a nebula densissima derivat, et tacet ideo procellam cum eadem conjunctam (LXX. in Exod. 10, 22).

[58]) Exod. 9, 31. 32 tum prosternebantur linum et hordeum, quia hoc spicatum erat et illud calamos fecerat; sed triticum et zea non prosternebantur, quia adhuc latebant.

[59]) Quomodo singula mala ex naturæ lege et temperie Ægypti explicari possint, ostendit *Eichhorn* de anno mirabili Ægypti. Gött. 1818.

infortunia referenda sunt? ad annos oppressionis, an ad annos dominii? Quum autem haud vero simile sit, rebelles totam Ægyptum occupasse, nec magis, eos a rege, Æthiopibus adjuto, quietos relictos fuisse, anni dominii ab annis, quibus bello premebantur, non stricte separandi sunt; in hocce bello vero, cujus initium oppressionem et finis exitum attingit, evenisse cogitari possunt. Explicantur ita nonnulla, v. c. quomodo Ægyptiis *mala* acciderint, quæ non Hebræos tetigere, et intelligitur, quomodo hæc facile et ad exitum et ad oppressionem trahi potuerint. Belli proxime ante exitum cum Ægyptiis gesti meminit quoque S. S., ubi narratur, Pharaonem magno cum exercitu fugientes protinus persecutum esse; (Exod. 14, 5. 6. 7.) in armis ergo erat, quoniam tantum exercitum una die haud colligere potuit. [60])

In monumentis Ægyptiacis sculptis pictisque passim repræsentantur, quæ hisce rebus *simillima* esse videntur. Sæpe enim bella pinguntur, ubi semper pars inferior barbis ingentibus distincta est. Mox unus singulive in discrimine vitæ versantur, mox proelium et fuga cæsorum depinguntur. Inter Thebaica monumenta tria imprimis consideranda sunt; in uno (*Denon* Planches du voyage dans la basse et la haute Egypte Tab. 133) hostes barbati a viro, qui curru vehitur, fugantur; alii vero in castello impetum operiuntur; horum unus deturbatus delabitur; boves duo exterriti aufugiunt. In altero (*ibid.*) septem captivi barbati coram Deo quodam collocantur. In tertio denique (*ibid.* Tab. 134)

---

[60]) Aliter de hac re statuit *Hartmann* l. l. p. 458; nos autem ope historiæ Ægyptiacæ traditionem tuemur.

in longo triumpho eadem reperitur repræsentatio ac in primo: barbati de monte fugiunt, persequente viro, qui currui insistit. Putant, triumphum Sesostridis aliusve Thebaici regis pingi; quid si triumphus Amenopheos vel Sethoseos describi dicitur? — Inter cataractas similes inventæ sunt imagines: in ruderibus Kalapschæ (*Gau* Neu entdeckte Denkmäler von Nubien Tab. 14) eadem repræsentatur pugna: inter hostes barbatos unus falce armatus est. In alio monumento castellum et unus delabens conspiciuntur. In ruderibus Abussambulæ (*ibid.* Tab. 61.) ex eodem castello pugnatur, unus barbatorum bovem aliudque animal festinanter abigit. Quantumvis et facies hostium et boum falcisque aspectus pugnam cum Hebræis intelligi jubeant; incertum tamen est, annon potius ejectio Pastorum his depicta putanda sit; hæc scilicet majoris momenti fuit, quam bellum per annos 13 gestum, ideoque magis fama ejus per totam Ægyptum in fines Æthiopiæ penetrare potuit. Sed nec certum constat, quamdiu scriptura triumpho Thebaico apposita legi recusat, nec, si constaret, accuratior rerum temporisve definitio inde hauriri posset.

§ 48. *Exitus Hebræorum.*

Armis Ægyptiorum magis magisque in angustias redacti, venia exeundi forsan etiam tum frustra petita, demum fugam ceperunt; impediente vero exercitu hostium, non sinum Heliopolitanum circumire licebat; ad littora ejusdem hostibus cincti sunt; impetu tamen procrastinato, via per mare patuit. Ægyptii in vadum descenderunt, sed, redeuntibus aquis, exercitus magnam cladem passus est. Quem-

admodum nunquam periculum tantum fuerat, sic et nunquam clarius apparuit numen Hebræos adjuvans: "servavit Jehova die illa Israelitas e manu Ægyptiorum" Exod. 14, 30. Pia Israelitarum fides etiam heic modum narrandi secum tulit; Deo omnis salus debetur; eidem ergo et dilatio pugnæ et felix per mare transitus. Quum vero Orientales in notionibus abstractis nunquam subsistant, angelus Dei nebulæ instar inter castra utraque intercessisse dicitur. Hortante Deo, Moses baculo aquas discedere jussit,[60] et muri instar fluctus ab utraque parte stetere.[61] Mari trajecto, sic Hebræi ab Ægyptiis tuti erant.

Traditio Hebraica fert, regem totumque exercitum in mari periisse. Hostium vero relationi non nimium credendum est; et silentium plenum historiæ Ægyptiæ offendit; nec totus Ægyptiorum exercitus in brevi freto esse potuit, et breve fuit, siquidem tota egressorum multitudo in una nocte transiit. Tantum vero omnino credendum est, Ægyptios cladem in mari accepisse et a persequendo impeditos esse. Nec multum tribuendum est silentio Ægyptiæ historiæ de clade suorum. Magis vero negotia facessit ea res, quod Ægyptia historia magno cum consensu narrat, regem et filium ejectos persecutos esse ad Syriæ fines. Quamvis persecutio ad Syriam usque facile pro persecutione ad ultimos Ægypti fines orien-

---

[60]) *Josephus* exemplis aliorum veritatem hujus miraculi defendit, judicio tamen lectoribus relicto (Arch. 2, 16, 5); et prodidit ita nolens, quantam fidem ceteris adhuc magis mirandis habuerit.

[61]) Apparet poesis verborum vel inde, quod Ægyptii sic Israelitas non secuti fuissent.

tem versus dici potuisset, potius intelligenda videtur alia expeditio, quam Manetho alibi commemorasse dicitur. Fertur enim, Sethosin illum, qui cum Amenophi, patre, impuros ejecit, cum exercitu ingenti profectum esse in Cyprum, Phoeniciam, Assyriam et Mediam, donec, rebus patriæ per Danaum, fratrem, turbatis, post 7 annos redire cogeretur.[62]) Transgressis Judæis, quum Ægyptii eos persequi vellent, juxta sinum Heliopolitanum septentrionem versus proficiscebantur, et rati, Solymitas cæterosque Cananæam rectâ petiisse, in Syriam forsan tetenderunt, errantes via fugientium, quemadmodum postea Scythæ Cimmerios persecuti erraruut. Hanc itaque expeditionem Manetho facile persecutionem ad Syriæ fines dicere potuit. Quod si statuitur, fides relationi Hebræorum constat, regem per cladem in mari rubro vel brevi postea periisse, nec minus relationi Ægyptiorum, Sethosin ad fines Syriæ eos persecutum esse.[63])

---

[62]) *Jos.* c. Ap. I, 15 ubi legendum est non *Σέθωσις καὶ Ραμέσσης*, sed *Σ' ὁ καὶ Ραμ'.* cl. p. 1202.

[63]) Sethosin hunc Sesostridem esse, *Herodoto* et *Diodoro* celebratum, multi crediderunt, (*Volney* recherches p. II. p. 200 sq., *Rask* den gl. æg. Tidsr. p. 51). *Diodorus* enim Sesoosin scribit, et *Herodotus* affirmat, eum fere 900 annos ante sua tempora vixisse (ergo in seculo 14to), et vere magna, quæ huic sententiæ obest, difficultas per hypothesin nostram superatur, silentium scilicet annalium Judæorum de Sesostride, si post Abrahamum vixisset. Tamen, quum Manetho celebrem Sesostridem in alio operis sui tomo commemoraverit, eumque fere ad seculum 20 vel 22 ante Chr. retulerit; putamus potius cum plerisque, res a pluribus regibus gestas huic uni tributas esse, atque Herodotum tempus sui Sesostridis ab hocce Sethosi mutuatum esse.

Cap. V.

Historia egressorum usque ad occupationem Palæstinæ.

---

§ 49. *De legislatione Sinaitica.*

Transgressi sinum Heliopolitanum meridiem versus profecti sunt: voluit enim dux, ut populus coalesceret et civitas componeretur, antequam novæ sedes occuparentur. Accessit forsan et persecutionis timor.

Quum ab hocce inde loco Ægyptia historia nos relinquat, nec aliarum gentium annales de rebus in deserto gestis consuli queant, historiam populi in deserto paucis absolvere nobis licet.

In montanis Sinai lex promulgata est, cujus nomen auctoritatem secutis institutionibus foeneratum est. Solennitatem promulgationis legis celebrare, Judæis admodum in deliciis erat, nec satis splendide describi posse videbatur. Inter tonitrua et portenta, visu horrenda, vox divina legem edixisse fertur. Ne sic Moses præstigiis usus putetur et cum Numa aliisque comparetur, qui legibus suis revelationem divinam prætenderunt, theologi statuunt, aut omnia sic evenisse, uti in Exodo narrentur, aut poetica tam historicis mixta esse, ut separari nequeant, sed ut sola sententia tenenda sit, legem a Mose datam esse, quæ auctoritatis divinæ habita sit. Jam *Philo* bene monuit, constitutionem Mosaicam, sive a Deo communicatam, sive a Mose excogitatam, Deo

acceptam ferri, (*Eus.* Præp. VII, 6, p. 357) et quum hæc distinctio humanum oculum fugiat, subsistendum est in conclusione, in qua Philo acquievit. Missas facimus itaque omnes res, quæ in Sinai evenere, id unum indagandum suscipientes, an Moses nomine Dei leges proposuerit, quasi Deo singula dictante. Quantumvis hæc quæstio superflua videri possit, quum tot in legibus Deus loquens inducatur, tamen non omnino levis habenda est; accidere enim potuit, ut hæc forma a collectore legum Mosaicarum et auctoribus recentiorum legum profecta esset. Quamquam fieri nequit, ut leges ab ipso Mose profectæ a recentioribus stricte separentur, in decalogo tamen magis quam in ulla alia parte leges immediate a Mose profectas habemus. Ad morem antiquorum lapideis tabulis inscriptus est, et argumentum ejus tanquam stamina constitutionis Mosaicæ omnium in ore ferebatur. Propositio ejusdem, quæ nobis in Exod 20 data est, non a tabulis descripta dicitur, sed tamen credendum est, hanc descriptionem proxime omnium ad tabulas accedere. Initium legum ab ipso Jehova loquente repetitur; a lege tertia vero oratio indirecta est; jam vero facile cogitari potest, illam formam orationis ab aliena manu ortam esse, si hæc ab initio adfuerit, non vero haec explicari potest, si illa per totam legem adhibita fuisset. Accedit, quod oratio in præceptis primis prolixior est, quam in legibus fundamentalibus esse solet. Quare dubium saltem dicendum est, an Moses nomen Dei legibus suis præfixerit,

idque a secuta historia Judæorum colligere, [64]) arbitrarium est. Auctoritate legis per tempora aucta, quum ordo sacerdotum formam legum ad ingenium ævi mutasset, hierarchia Judaica facile construi potuit, etiamsi legislator primus non formam revelationis legibus imposuisset [65]).

§ 50. *De commoratione in deserto.*

Quatuordecim mensibus elapsis, castra a monte Sinai movebantur, et duce Hobabo, filio Jethronis, tridui iter factum est. Post 21 mansiones ad Paran desertum Palæstinæ a meridie affine perventum est (Num. 33). Speculatoribus ibi emissis, quum populus animum desponderet, a finibus Palæstinæ mare rubrum versus recedi jussum est; (Num. 14, 33 Deut. 1, 40) accessit, quod ferociores, impetum temere ausi, ab hostibus fusi sunt. Tristissimi a finibus terræ exoptatæ discesserunt, et, quod erat ingenium pium Hebræorum, necessitatem discedendi poenam

---

[64]) *Leo* l. l. p. 101 et 102. "Dies bleibt Moses auf jeden Fall — daß er dadurch, daß er die Gottheit als das unmittelbar Befehlende, Gesetze gebende, als die Quelle der höchsten Anordnungen hinstellte Veranlassung wurde, daß es später dem Stamme Levi möglich ward, diesen ganz eigenthümlichen, theocratischen Staat der Israeliten zu entwickeln" ꝛc.

[65]) Quot et quales leges a Mose ipso profectæ sint, non heic nobis disquirendum est, quum hæ quæstiones initium sint disputationis ab hocce opusculo alienæ; collatio vero cum institutis Ægyptiis docebit, longe plures ad ipsum Mosem et socios ejus referendas esse, quam fieri solet. Et brevius temporis inter Mosem et Samuelem spatium, quod nostra computatione efficitur, non minus sinit plures a Mose ipso derivare.

divinam dixerant. Impatienter moram ferebant. Impatienti vero vel breve tempus longum videtur; quid mirum ergo, si traditio posterior moram magis magisque augebat? quid mirum, si declinatio a finibus desideratis longæ ambages esse videbatur? Narratur, imperatum esse, ut quadraginta annos in deserto errarent. Sed quadragenus numerus longum incertum tempus describit maxime in historia illius avi [66]), et poetica ars, qua numerus constituitur, historicam rei notitiam superfuisse non probat [67]). Nec aliter discessus ad mare rubrum pro longissimo in deserto itinere dictum est. Omni enim probabilitate caret, populum, tanta jam passum, ad loca relicta rediisse et per 40 annos in deserto detentum fuisse [68]).

At unde certior haurietur cognitio? quomodo anni in itinere acti explorabuntur? Consideratio ipsius narrationis rerumque gestarum et mansionum nos ducet. In Numeris 12, 16 narratur primus ille adventus ad Paran sive Sin desertum, ubi Kade Barnea consederunt; nulla deinde dissessus mentione facta, in 20, 1 idem, mense adventus addito,

---

[66]) Mose 40 annos natus, 40 annos apud Jethronem egit, et 40 populum rexit; bis quadragenos dies in monte moratus est, 40 dies speculatores abfuere, Moses 40 dies totidemque noctes iram Jehovæ deprecatus est. &c. &c.

[67]) Num. 14, 34. pro numero dierum, quibus terram explorastis, anno pro die sumto, peccatum vestrum portabitis.

[68]) Sunt qui ad exemplum Beduinorum provocent, obliti, Israelitas intime junctos et numero plurimos fuisse.

repetitur: quis itaque crediderit, hoc loco alium adventum, annis 38 elapsis, describi? quis credat, intercedere integrum ad mare rubrum reditum? [69]) Quid? quod in Deut. 1, 46 legitur, eos post cladem Kade mansisse, donec montem Seir circumire coeperunt. Ad hunc circuitum vero in Deut. anni 38 referri videntur (2, 14). Sed descriptio itineris tanquam circuitus montis (Num. 21, 4) [70]) non putare sinit, 38 annos in eodem elapsos esse. Itinera ergo ita describi videntur, ut a Sinai monte ad Paran desertum et Hor montem venerint, tum vero montes Edomitarum circumierint. — Si res in deserto gestas lustramus, omnia, quae narrantur, aut ad commorationem in regione Sinaitica, aut ad fines Palæstinæ referuntur; in ambagibus circa montem Edomi, modo una res accidisse dicitur (Num. 21, 6). At quis sibi persvadeat, nil omnino memoria dignum accidisse, si per annos 38 mare rubrum versus profecti essent. — Mansionum denique contemplatio eodem ducit: Num. 33 recensentur loca 31, in quibus Israelitæ substitisse dicuntur. [71]) man-

---

[69]) Sic tamen ii, qui S. S. premunt, quorum recentissimus est *Hales*. (New Analysis in Chronology and Geography. Lond. 1830).

[70]) Profecti sunt ab Hor monte Mare rubrum versus, ut ambirent Edomitas.

[71]) Si cui fides catalogi mansionum dubitanda videatur, monemus, eum tamen, sive ex traditione immediate haustus sit, sive ad traditiones compositus, opinionem Hebræorum nobis exhibere. Quo minus autem a mero arbitrio aut noviori itinerum mercatorum cognitione (*Hartmann* l. l. p. 455) proficisci putetur, obstat maxime ea res, quod nec postrema ejus particula itineri merca-

sio 22da est commoratio in deserto Sin (Kade-Barnea), cæteræque ad circuitum montium referuntur. Sic vero exclusa est oberratio per 38 annos: nam aut accidit ante hunc adventum ad desertum Sin, aut post discessum ab eodem: mansionum vero ratio ea est, ut numerus earum et ante adventum ad desertum illud et in circuitu montium accurate viæ conveniat, nam circuitus ille duplo minor est itinere a monte Sinai ad Paran desertum. Si vero 38 annos in alterutra itineris parte egissent, multo plures mansiones numeratæ fuissent. Restat tamen, quod in uno loco forsan diu morati essent, et re vera Kade aliquamdiu substitisse dicuntur (Deut. 1, 46); sed longam in uno loco moram non patitur natura deserti, nec ad moram tempus illud longum refertur, sed ad oberrationem mare versus; quo cum referri nequeat, historica fides hujus numeri desperanda est. Non autem origo traditionis latet: nam quum, Sinai monte relicto, læti ad fines terræ exoptatæ accederent, cladem et repulsam ab Edomitis passi, ab oriente in Palæstinam ingrediendum erat; montes vero, Seir dicti, transitum recusabant; quos ut ambirent, meridiem et mare rubrum versus proficiscendum erat: moram autem et ambages impatienter ferebant et pericula deserti timebant: itaque non mirum, si hæ ambages longissimæ visæ nomineque longorum annorum notatæ sunt. — Numero, qui traditur, relicto, non est, unde mora in

---

torum solito congruit, nec totus recensus cum ambagibus per annos 40 susceptis conspirat.

deserto constitui possit. Mansiones et res narratæ ad 2 v. 3 annos eam contrahere sinunt; sed traditio de 40 annis et de morte fere omnium egressorum [72]) necnon ratio expeditionis Sethonis habita eam aliquantum extrahi jubent. *Historia græca,* quam heic consulere licet, ad eandem sententiam ducit. Quamquam tantæ tenebræ res Græcorum antiquas premunt, ut jam ipsi Græci chronologiam justam ultra Olympiadem primam desperarent; [73]) tenendum tamen est, et majora facta et umbram quandam chronologiæ in ordine, quo componantur, facile servata esse. *Danai* et *Cadmi* adventus nullo jure in dubium vocatur; [74]) nec magis dubitandum est, adventum utriusque fere eodem tempore accidisse; id enim omnes relationes testantur: jam vero Danaus, Sethonis frater, Ægypto ejectus est, quum Sethos anno 7 post exitum Judæorum

---

[72]) Ne quis putet, mortem omnium virorum egressorum, quæ traditur, spatium annorum 40 exigere, monemus, inter molestias deserti facile 40,000 quotannis ex 600,000 mori posse; calamitates ingruentes (Num. 16, 49. 25, 9. Exod. 32, 28.) fere 42,000 hominum confecerunt, et tamen vastationes duarum non traduntur; (Num. 11, 33. 21, 6) denique bella sæpe infeliciter gesta (Num. 14, 45) multos consumebant; quare intra spatium 10 annorum facile omnes egressi morti succubuisse putantur. nec fides habenda est relationi, omnes egressos mortuos esse, quoniam ducibus et plerisque defunctis, traditio facile omnes mortuos ferebat, exceptis solis iis, quos historiæ testimonium mortuos esse negavit.

[73]) *Varronis* fragm. p. 229. *Thucidides* I, 1.

[74]) Rationes, quibus dubia ab *O. Müller* proposita nituntur, probant, non esse dubitandi rationes (Geschichte hellen. Stämme und Städte. 1 Th. p. 109 sqq.)

ab expeditione rediret. Cadmus vero armis Hebræorum pulsus putatur. Si itaque Cadmus ante Danaum venerit, [75]) sequitur, Hebræos Palæstinam ingressos esse mox post exitum ex Ægypto; svadet ergo historia Græca, ut commoratio in deserto contrahatur, et augetur discrepantia, quo longius hæc extenditur.

Fides rerum, quæ in deserto evenisse dicuntur, relatione Ægyptiaca sæpe corroboratur: per colluviem Ægyptiorum explicatur celer ad cultum Apidis relapsus; non offendit auri moles ad vitulum fundendum et tabernaculum ornandum collata; nam tempore, quo superiores erant, Ægyptum spoliaverant. Intelligitur item, cur tribus Levitarum duplo et triplo cæteris minor esset, nam pauciores peregrini in eam recepti erant. Sunt vero et multa, quæ historiæ ope non collustrari possint, et in quibus historicum elementum ob formam religiosam et poeticam frustra quæratur, idque eo magis, quod auctor libri Num. carmina in populo decantata consuluisse et figurate dicta in historiam convertisse videtur. Sic carmen Num. 21, 17. 18 citatum, beneficium fontis celebrat [76]), non autem Mosem ru-

---

[75]) *Chronicon Parium* tradit, Cadmum anno 8vo ante Danaum advenisse; utut de fide ejusdem judicatur, systema chronologicum Græcorum nobis exhibet; et quamvis procul absit opinio, annos et secula magna cum fide indicari, mutuam rerum relationem tamen inde colligere licet. (cfr. die parische Chronick übersetzt von Wagner. Gött. 1790).

[76]) Ascende putee! canamus ei! puteus excavatus princi-

a littore remotam condidere, idque jure miretur, qui omnes colonias eorum a mercantibus conditas censeat,[79] non autem is, qui reputet, Cadmum invasione hostili cum agricolis e mediis agris ejectum esse.

An tempus invasionis Hebræorum a tempore, quo Cadmus in Græciam venit, constitui queat, omnino dubitamus; nam et incertum est, an Josvæ invasio colonos ejecerit, et tempus, quo in Græciam venere, haud tuto constat.[80] Si Pario Chronico et antiquis chronographis creditur, Cadmus seculo 16to venisse putandus est (1582). Ab invasione Judæorum vero sic adventus ejus procul distat. Potest autem ad seculum ante Trojam captam secundum referri; atque annales Ægyptii, qui Danaum ad ea tempora rejiciunt, id svadent. Et ita convenitur optime cum iis, quæ antea evicimus, quum sic in medio seculo 14to Cadmus a Judæis expulsus venisse dicatur. Sed quum tempora historiæ Græcæ sic ad annales Ægyptios digerenda sint, hi soli nobis manent fontes, si tempus invasionis in Palæstinam definire volumus, ac pro eis, quæ supra de exitu et spatio temporis in deserto acto statuimus, occupatio Palæstinæ in decennio 5to seculi 14ti accidisse putanda est.

Tetigimus sic fines nobis propositos, nec pro ratione instituti nostri ulterius procedere licet: et-

---

profectos esse, explicatione non caret, si tenetur, multos Palæstinæ incolas ex Ægypto egressos esse.

79) *O. Müller* l. l. p. 117, 118.

80) *O. Müller* l. l. p. 115 "so verschwindet alle Zeitbestimmung dieser Colonie."

enim ex quo historia Hebræorum post tempora turbulenta et obscura iterum ad comparationem cum historia aliorum populorum emergit, ipsa certior est his, nec ope earum digeri potest. Quodsi opus continuandum esset, inverti debuit ratio. Inverterunt vero quoque in hac parte tantum non omnes, qui chronologiam rerum componere studuerunt, nec antiqui solum, sed etiam recentiores et recentissimi. Quæ quum ita sint, rationes nobis reddendæ sunt, cur, chronologia S. S. relicta, ad alienos fontes confugerimus.[81]) Id autem melius fieri nequit, quam si probetur, ipsum V. T. accuratius inspectum ad eandem chronologiam ducere, quam nos ex historia aliena effecimus.

CAP. VI.

De concordia chronologiæ propositæ cum V. T.

§ 52. *Commorationis Patriarcharum in Palæstina computatio biblica.*

Quum S. S. ætatem singulorum virorum sæpiusque eos vitæ eorum annos, quibus majora eventa

[81]) Ea relationum Hebræorum indoles, qua omnis certa temporis computatio præcludatur, (*de Wette* l. l. § 14, "es ist eigentlich unmöglich, eine nur etwas genaue Chronologie der hebräischen Geschichte zu geben.") non minus quam exempla ingeniosorum virorum, qui annis biblicis prælatis, in angustias et contradictiones inducti sunt, svaserunt, ut periculum faceremus nova via chronologiam investigandi.

accidere, indicaverit, satis facile accurata computatio commorationis in Palæstina efficitur. Abrahamus 75 annos natus in Palæstinam pervenit, anno 100 Isacum genuit; hic anno ætatis 60 Jacobum genuit, qui anno suo 130 in Ægyptum profectus est. Quibus collectis, spatium commorationis in Palæstina annis 215 absolvitur. Sed elementa hujus computationis parum certa esse videntur. Quum vero hæc majoris systematis pars sit, non possumus eam considerare, nisi simul ad reliquos annos in libro Geneseos traditos respiciamus; cohærent enim hæc cum longissimis, quæ eisdem viris tribuuntur, ævis; Abrahamus annos 175, Isacus 180, Jacobus 147 vixisse dicuntur. Et hæc porro cum ævis adhuc longioribus, quæ majoribus eorum dantur, connexa sunt: ante diluvium inter annos 969 et 777 solita æva fluctuant; post diluvium Sem annos 600, Arphakschad 438, Sala 433, Eber 464, Pheleg et Reu 239, Serug 230, Nachor 148, Tharach 205 vixisse dicuntur. Duplex omnino heic adest via, quam ingredi licet: aut numeri indicati tempora accurate describere putantur, aut, usu historico misso, notio longi aut brevis temporis contineri dicenda est. Qui illam sententiam amplectuntur, plerique numeros traditos simpliciter accipiunt, et ab *Africano* inde ad nostram usque memoriam ex iis chronologiam rerum, creationis adeo, composuerunt. *Josephus* cæterique Judæi eundem morem secuti sunt, ille vero, defensione longorum ævorum quamvis suscepta, judicium penes lectorem esse jubet. (Arch. 1, 3, 9). Et quamquam religio credere jubet, æva primorum hominum longiora fuisse, eadem credere

vetat, generationes pariter procrastinatas fuisse, atque analogia credere vetat, ætatem patriarcharum tanto superasse solitam naturæ normam, quæ eodem tempore inter Ægyptios et Chaldæos observetur; accedit, quod filius anno patris centesimo et seriore non sine miraculo gignitur. Quare judicium lectoris non facile aliam fidem his relationibus Hebræorum tribuerit, quam simillimis aliorum populorum, ad quas *Josephus* (l. l.) provocavit. Desperato simplici harum relationum usu, chronographi sanioris judicii annos intra fines probabilitatis contrahere studuerunt. Inde ab Ægyptiis sacerdotibus ad nostra tempora suspicati sunt, minores temporis mensuras nomini annorum subesse. Quum vero summæ decrescant, necesse erat, mensuras sæpius mutari. Annos menstruos, bimestres, trimestres, quadrimestres, semestres igitur excogitabant. Quamvis talis computandi ratio arbitrio debeatur et satis sero inventa sit,[82]) potuit vera esse, nisi et naturæ rei repugnaret et nomine anni ab usu Semitarum excluderetur; nam quo demum pacto veteres homines eo inducti cogitandi sunt, ut duos menses pro unitate computarent? quomodo, ut tres vel sex conjungerent, nondum relatione inter solem et lunam perspecta? si vero perspexissent, duodecim menses fere

---

[82]) De ipsis *Ægyptiis*, a quibus hæc ars derivatur, fertur, (*Diod.* 1, 26) *quosdam* conatos esse dicere, annum secundum circuitum lunæ computari, nondum cognito circa solem motu. Et tempore *Herodoti* nondum ab iis inventa fuit, (Eut. § 142) nec in seculo 2 ante Chr. a Manethone usurpata est.

circuitum solis æquare, quomodo dimidiam partem unitatem potius quam integrum circuitum dixissent? Semitis minus quam aliis ullis convenit annus bimestris et quadrimestris, nam שָׁנָה uti ἐνιαυτὸς iterationis vel circuitus notionem continet; quomodo itaque aliud temporis spatium sic dixissent, quam ubi eadem phoenomena iterentur? Non autem nostrum est, hypothesin ipsam aggredi; videbimus vero de usu ejus in annis V. T. computandis. Quoniam levissima videntur hujus computationis vestigia, quæ in ipsa historia Sacra invenisse sibi visi sunt, [83]) tota ars hypothesis dicenda est, aliunde in historiam V. T. applicata; venia et jus applicationis igitur pendent a convenientia, quæ efficitur, omnium et singulorum, et quando vel omnia per eandem componi se patiantur, tantum colligitur, posse credi, auctores traditionum sic computasse; si vero aliqua obstant, hypothesis a loco aliena est. Ætas virorum omnium facile per eam ad probabilitatem reducitur; [84]) sed quoniam annus patris, quum filius natus

---

[83]) *Rask* (d. ældste hebr. T. p. 21. 22) urget, quod *Gen.* 1, 14 modo dies et anni ope solis et lunæ computandi dicantur, colligens, annos (שָׁנוֹת) ergo menses esse; sed in loco poëtico non ἀκρίβεια astronomica quærenda est. quid? quod Hebræi annos solares ope lunæ computarunt. *Job.* 29, 2 locus mere poëticus est; et tempore, quo liber Jobi conscriptus est, anni solares dudum numerabantur. *Gen.* 8, 22, (l. l. p. 61. 62) quamvis ab ipsis Rabbinis misere pressus, non aliud continere videtur, quam oppositionem quater repetitam. adeoque ad contrarium demonstrandum adhibetur ab *Hartmann* l. l. p. 400.

[84]) Id vero non admirandum, quoniam conclusionis ratio

est, additur, sæpe accidit, ut filii nasci videantur, patribus nondum adultis. Confugitur tum ad lectionem interpretum Alexandrinorum, qui ætatem patrum ante filios natos centenis annis augent, et quum ne sic quidem difficultas tollatur, adhuc centeni anni a parte vitæ postrema ad priorem referuntur. (*Rask* l. l. p. 19) Sed si opus est, textum Hebraicum, codice Samaritano confirmatum, relinquere, et textum alexandrinum, qui in re chronologica ex præconcepta opinione interdum mutatus est, (exemplum habebis in § 55) præferre, adeoque hunc mutando ad computationem aptare, nescio, an convenientia hypotheseos laudanda sit. Felicius tamen hæc ars applicatur in ea historiæ parte, de qua nobis maxime agendum est. Anni inter Abrahamum et exitum ex Ægypto semestres putantur. Sic Abrahamus annos 37½ natus in Palæstinam profectus est, anno 50 Isaacum genuit; Jacobus, post 30 annos natus, anno suo 65 in Ægyptum abiit; itaque commoratio in Palæstina annos 107½ continet. Quantumvis hoc spatium temporis nobis sese commendet, tamen dubitamus magnopere, an ars adhibita approbanda sit. Nam non solum cum arte in annis priorum generationum adhibita cohæret, atque arbitrio annorum semestrium premitur; sed etiam difficultates non parvas movet. Josephus ita 15 annos natus Ægypto toti præficitur (Gen. 41, 46), Mosis ætas ex disparibus annis com-

---

est: quum hæc summa duodecies ætatem humanam superet, menses intelligendi sunt (*Rask* p. 13, 60 &c.)

ponitur;[85]) Saræ filius promittitur, *anno* elapso, Gen. 18, 14. 10; 17, 21; sæpius, ubi menses in Genesi nominantur, plus quam 6 computantur v. c. 8, 4. Ismaelitæ ad exemplum Ismaelis anno 13 circumciduntur, nec anno 6½. (*Jos.* Arch. 1, 12, 2) Quæ si vel possent per novas hypotheses, quæ auxiliares dicuntur, componi, ipse earum usus fidem elevat; manet relationibus infixa opinio, annos solitos computari,[86]) et jure miramur, traditionem, quæ singulos numeros tam fida servasset, nusquam servasse ullam computandi rationis mutatæ memoriam. Nec opus esse videtur ad tales hypotheses confugere, si relationes ipsæ recte æstimantur.

---

[85]) *Rask* l. l. p. 87 sqq. bis quadraginta semestres, postremi 40 solares putantur; idque historia tacet?

[86]) At opinio altera, annos semestres esse, historiæ non minus infixa esse dicitur. Ismael jam annos 16 natus (Gen. 16, 16) pueris instar humeris matris imponi et sub fruticem projici dicitur. (Gen. 21) Sara 65 annos nata (Gen. 12, 4 cl. 17, 17) a Pharaone cupidine capto rapitur. (*Hensler* Bemerkungen über Stellen in den Psalmen und in der Genesis p. 139. *Rask* l. l. p. 90 sqq.) Sed fugit viros doctos, disparata sic componi: nam non eadem relatio ejectionem Ismaëlis describit, quæ ætatem ejus indicat, nec ætas Saræ in relationibus de amore regum definitur; quum vero Genesis relationes non semper concordes nec ab uno auctore profectas contineat, non fieri potest, ut tempus ab uno loco, res vero ab altero petantur. Atque in historia Ismaelis in universum non mirandus est dissensus (v. § 31).

§ 53. *Continuatio. Æstimatio traditionum de annis rerum gestarum.*

Si liber aliquis nobis traditur, qui res continet, quæ cum aliis comparari nequeant, non superest alia explorationis via, quam examen probabilitatis rerum ac fidei fontium, unde relationes hauriuntur. De probabilitate numerorum Geneseos tam in antiquissimis generationibus, quam tempore patriarcharum, satis dictum est; restat igitur, ut videamus, quantum fidei examen fontium adstruat. Quamvis et Chaldæi et Phoenices jam ante tempora Abrahami litteris dudum uterentur, tamen ars scribendi inter colonos Hebræos non usurpata fuisse videtur; etenim nec litteræ a Transeuphratensibus (Gen. 22, 20) nec ad eos scribebantur (24), nec pactiones litteris consignabantur (Gen. 23, 20), nec Jacobo aliter fides facta est de potestate Josephi, quam quum equos et currus videret (Gen. 45, 27). Quapropter etiam, quæ de initiis generis humani ac de patriarchis ipsis ferebantur, ore tradita putanda sunt. nam Levitarum ordine sacris officiis dicato, cura scribendi demum initium habuit. Quum vero civitas non mox post occupationem Palæstinæ institueretur, res litteraria adhuc impedita est; liber Judicum probat, eventa populi nondum tum litteris prodi. Et tempore, quo Pentateuchus in hodiernam formam redacta est, carmina et fragmenta historica materiem ministrabant. Quamvis vero hæc sane litteris tum consignata essent, pleraque tamen non ante tempora Samuelis litteris tradita fuerant; et quicquid sit, traditione ab initio nituntur. At quomodo traditio

per plura secula numeros annorum ulla cum fide servare potuisset? si vel patriarcharum, uti propiorum, ætas constitisset, numeri eis tributi non separari possunt ab annis generationum antecedentium; et quæ fides putetur esse relationi, Tarachum annos 205 et Adamum 930 vixisse, eadem omnino est relationi, Abrahamum annos 175 vixisse. Quum nil minus memoria teneatur, quam series numerorum, ubi non ad certam legem structa est, quomodo credendum est, seras generationes annos sive ætatis sive rerum memorabiliorum fideliter servasse? ne dicam, tempora fuisse, quum ne numerari quidem potuerint. Sed pro ingenio Orientalium, qui in homine narrante non tam fidem quam ornatam orationem laudent, accurata temporis definitio omitti non debuit; et pro reverentia patrum, a solito rerum ordine eam repetere, non par erat. Si fama ferebat, aliquem pro suorum temporum ratione diu vixisse, filium quendam patre grandævo natum esse &c, Orientalium non fuit, in abstracta notione subsistere; notionem longi temporis et miri, quam aliquis audiendo conceperat, narrando exitare studuit, et pro sano sensu perspexit, non esse locum numero rotundo sine jactura speciei veri, quæ deesse non debuit. Exempla sunt plurima; quum S. S. annos, quibus filii Jacobi nascerentur, non addidisset, traditio haud defuit, sed annos et menses natales definivit; nec S. S. spatia generationum inter Jacobum et Mosem definiverat, hæc vero etiam traditio sedula adjunxit, (*Demetrius* in *Eus.* Præp. IX, 21) nequaquam numeris rotundis usa, sed admodum definitis,

v. c. Kehat anno 47 Amramum genuisse fertur, et is anno ætatis 78 Mosem. Legitur in Gen. 10, 24-31, Ichovista referente, stemma filiorum Semi absque chronologia; elohistica [37]) relatio, annis accuratissime additis, idem c. 11, 10-26 repetit, et tam parvæ fidei anni singuli inter doctos Judæos habebantur, ut interpretes Alexandrini, licentiam magnam in his numeris sibi esse rati, arbitrarie generationum annos mutaverint. Una relatio (Gen. 18, 12) subsistit in abstracto: Abrahamum et Saram ætate provectos fuisse, quum filius eis promitteretur; altera vero, quæ Elohistæ debetur, notione abstracta spreta, Abrahamum annum centesimum, Saram nonagesimum egisse, tradit (17, 17). Et idem in longis virorum ævis accidisse putandum est; ferebat forsan fama, et religio fidem fecit, patres deo dilectissimos longa vita fruitos esse, et quo propius ad initium rerum atque ad eos, qui manu dei creati essent, ascendebatur, eo longiora æva eis tributa sunt. Nec hoc inter Judæos solos accidit; Ægyptii, (*Diodor.* 1, 26; 13) Babylonii, Græci et Phoenices haud minora vitæ tempora suis majoribus tribuebant; (*Jos. Arch.* 1, 3, 9) quid de his judicet, nemo dubitat; et tamen ex alio fonte non fluxerunt relationes Hebræorum, quam ex eadem temporum lapsorum reverentia. Et moderationis Hebræorum una causa forsan in eo est, quod relationes eorum serius conscribebantur, postquam aliæ gentes ad historica tempora jam dudum descenderant.

---

[37]) Sic indole relationis motus, *Eichhorn* bene statuit. Einleit. 2 p 350. (ed. 1780).

Itaque non multa manet auctoritas relationis Geneseos, quæ annos 215 in Palæstina actos esse tradit; in eodem spatio tres solum generationes numerantur, et si vel una earum longior fuerat, quoque magna pars vitæ Abrahami ante adventum in Cananæam præterierat; tres vero generationes seculum æquant, et nisi alia fuerit naturæ lex inter Hebræos, quam eodem tempore inter alias gentes fuit, non multum ultra seculum extendi potest spatium, quo patriarchæ in Palæstina commorati sunt. Quapropter, nisi fides subtrahatur relationi, Jacobum esse nepotem Abrahami, non aliter esse potest, quam ut Hebræi unum fere seculum in Palæstina degerint; optimeque Scripturæ convenit, si affirmamus, Abrahamum ducentos annos ante Ninum, Chaldæis ab Arabibus victis, in Palæstinam profectum esse, (1580) et posteros ejus, seculo lapso, in Ægyptum deductos esse. (1470).

§ 54. *Computatio biblica commorationis Hebræorum in Ægypto.*

Traditur, Hebræos, ex quo in Ægyptum venissent, 400 aut 430 annos ibi egisse (Gen. 15, 13. Exod. 12, 40). Ut idem de his annis ac de cæteris feratur judicium, svadent et analogia et natura numeri; ille numerus enim rotundus omnino est, et computationem annorum præ se fert, quæ antiquis populis ignota fuit; hic vero artem quandam prodit, qua ille accuratius definiatur [88]. Non posse in his numeris

[88]) Alexandrinorum hypothesis de terminis annorum 430 fortasse originem ejus explicat. v. ad Exod. 12, 40.

acquiesci, mature senserunt doctiores. Alexandrini in loco Exod. 12, 40 eodem spatio simul commorationem patriarcharum in Palæstina comprehendi docent [89]. Codex Samaritanus et *Iosephus* in uno loco [90]) doctique alii tam Judæi [91]), quam christiani [92]) eandem sententiam arripuere. Sed satis apparet, lectionem hanc spuriam esse et arte Veteri Testamento insertam; nam et codices plurimum in hoc loco variant, et a contextu alienus est sermo de commoratione in Palæstina, ipsaque verba obstant, quum patres, qui in Palæstina habitaverant, filii Israelis non dici possint. Sed ne sic quidem spatium commorationis satis contrahi visum est. ***Rask*** ideo, conjectura de annis semestribus usus, 107½ annos in Ægypto exactos esse, statuit; (d. ældste hebr. Tidsregning p. 84 sq.) sed licet hoc spatium veritati convenire videatur, artem, qua constituitur, probare non possumus. Talia conamina vero ostendunt, quam necesse sit, computationem biblicam missam facere. Relictis igitur numeris, circumspicienda sunt facta, ut ex iis temporis spatium eruatur. Non autem alia ad chronologiam certam ducunt quam generationes. Etenim quamquam jure miramur, ossa Jo-

---

[89]) LXX. Exod. 12, 40. *ἡ κατοίκησις τῶν υἱῶν ἰσραὴλ, ἣν κατῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ χαναὰν ἐτὴ τετρακόσια τριάκοντα;* alii codices adduut post verba *υἱῶν Ἰσραὴλ: αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν;* et sic textus Samaritanus.

[90]) Arch. 2, 15, 2; idem vero alibi Bell. Iud. 5, 9. 4. Arch. 2, 9, 1 annos 400 numerat in Ægypto sola.

[91]) Targum *Jonathani* ad eundem locum annos 430 ab Abrahamo ad Mosem computat.

[92]) ***Marsham*** Canon Chronicus p. 12 & 70 (ed. Lips.)

sephi post 430 annos superfuisse et a posteris egressis sepulta esse, id quod minus mirandum est, si 50 vel 70 anno post mortem Josephi exierunt, tamen certum quicquam inde colligi nequit. Sed genealogiæ, quæ supersunt, magna cum constantia pauciora nomina continent, quam ut secula 4 explere possint. Moses atque Aaron in tertia generatione a Levi nati dicuntur Exod. 6, 18-20; Korah (Exod. 6, 18. 21.) tertius est ab eodem; vir in deserto defunctus quinta generatione a Josepho remotus est (Num 27, 1); Bezaleel artifex sextus a Juda (1. Chron. 2, 18-20) et Achanus quartus ab eodem ortus est (1. Chr. 2, 7). Quæ si considerantur, apparet, viros in deserto et in Cananæa inclytos quintæ et sextæ generationis esse, viros autem tempore exitus ætate provectiores tertiæ. Ergo agebatur quarta generatio, quum ex Ægypto egressi sunt. Sed hæc stemmatum fides a nonnullis in dubium vocata est; dicunt, omissa esse nomina pleraque, paucis celeberrimis servatis. Plures autem inter Mosem et Jacobum generationes omnino non numeratas fuisse, apparet ex Gen. 15, 16, ubi Hebræi in Palæstinam *quarta generatione* redituri dicuntur. Quamvis nomen דור de longo tempore et ad exemplum Arabum de seculo usurpari posset, dubito tamen, an recte hoc loco de seculo intelligatur; nam non quarto, sed quinto seculo redituri dicendi fuissent, et quum accurate Moses quartus feratur ab eo, qui in Ægyptum profectus est, fas est, genealogias biblicas commentarii instar ad hunc locum interpretandum adhibere. Dicunt porro, singula nomina ge-

nealogiæ Mosis et Aronis consulto pro seculis posita esse, ideoque quatuor esse nomina, quod totidem laberentur secula [93]). Sed, si moris esset unum nomen stemmatis pro seculo ponere, quomodo stemmata Bezaleelis, Achani, Zelaphchadi plura nomina exhibent? [94]) Consulto igitur ob rationem temporis non quaternus numerus delectus est, at forsan injuria temporis nomina quædam exciderint. Neque id factum putandum est. Etenim aut in sola genealogia Levitarum, aut in omnibus nomina excidisse putantur; illud vetat cura, qua Levitæ suum stemma et cum eodem jus sacerdotii servasse credendi sunt; hoc impedit miraculum rei, quod in omnibus genealogiis lacunæ non explendæ adfuissent; quid? quod facilius e genealogiis cæterorum virorum nomina casu excidissent, quam e genealogia Mosis et Aronis; itaque hæc plenior cæteris fuisset; est vero brevior. Itaque, quum nec consulto nec casu brevitas stemmatum orta videatur; traditio sic tulisse censenda est. Sed tres generationes seculum æquant, ideoque genealogiæ ultra seculum commorationem in Ægypto extendere non sinunt.

---

93) *Perizon. O.Æ.* p. 365. "In genealogiis Mosaicis notabile est, quod identidem *quatuor* tantum *Generationes* numerantur, sine dubio ullo, quod quatuor istius intervalli fuerunt *secula.*"

94) Hi viri, Mosi coævi, ergo etiam in quarto loco a Jacobo collocari debuerant, ut ostenderetur, eos seculo 4to vixisse. Ne dicam, quam difficile fuerit, per numerum nominum secula indicare tempore, quo nondum sæcularis annorum computatio orta esset.

Nec sola in genealogiis brevitas tempus commorationis contrahi jubet; fertur, matrem Mosis filiam fuisse ipsius Levi. Plerique quidem, miraculo rei offensi, aliam sententiam verbis subjicere laborarunt; sed, rationibus recte perpensis, non aliter intelligi possunt. Exod. 2, 1 (Amram) vir e domo Levi filiam Levi duxisse dicitur: quamvis hoc nomen puellæ ex stirpe Levi tribui posset, discrepantia, quæ adest, formularum "vir e domo Levi" et "filia Levi" probat, hanc stricto sensu filiam dici; aliâs enim et ipsa mulier ex domo Levi dicta fuisset. Majoris deinde est, quod Num. 26, 59 eadem non solum iterum filia Levi appellatur omnique genealogia caret, quæ membra quædam inter eam et Levi intercessisse probasset; sed etiam disertis verbis τῷ Levi in Ægypto nata dicitur [95]; utcunque interpretari placeat, analogia poscit, ut ipsa eodem sensu Levi nata dicatur, atque Aaron Amramo; poscit verbum, quod additur בְּמִצְרָיִם, ut sermo sit de aliquo, qui quoque extra Ægyptum liberos gignere potuisset; poscit denique contextus, ut hæc sit integra Jochabedæ genealogia, quod filia esset Levi, eidem in Ægypto nata. Ad fidem hujus relationis destruendam non sufficit miraculum rei, nam et discrepantia a chronologia reliqua suspicionem figmenti abesse jubet, et miraculum non tantum est,

---

95) יוֹכֶבֶד בַּת־לֵוִי אֲשֶׁר יָלְדָה אֹתָהּ לְלֵוִי בְּמִצְרָיִם וַתֵּלֶד לְעַמְרָם אֶת אַהֲרֹן &c. Alii, subjecto supplendo addito, reddunt: quam pepcrit τῷ Levi uxor ejus in Ægypto. Alii (interp. Vulg. Syr. Arabs) red-

ut Moses in tertia generatione filia Levi nasci plane non potuisset. Seilicet quum Levi nondum nepotes haberet, quum in Ægyptum veniret Gen. 46, 11, haud diu ante migrationem uxorem duxisse videtur; nova uxore in Ægypto ducta, filiam suscipere potuit decimo vel adeo vicesimo post adventum anno; si hæc filia coelebs aut post matrimonium sterile, ex consvetudine legi leviratus simili, (cfr. Gen. 38) Amramo 30 v. 40 annos nata cesserit, filium qui, non primogenitus erat, parere potuit ita, ut is, seculo post adventum elapso, annum 50 ageret. Seculum igitur in Ægypto actum putare sinit relatio de matre Mosis, sed quomodo hæc longiori computationi conveniat, nescio. Itaque, quod genealogiæ svaserant, quod traditio de matre Mosis poscit, quod numeri pro natura non impediunt, statuimus, Judæos seculum fere in Ægypto commoratos esse a medio seculi 15^ti^ ad medium seculi 14^ti^ (§ 44).

---

dunt: quæ nata est ei in Ægypto, punctis mutatis (יָלְדָה) et suffixo redundante. *Michaelis* (Ehegesetze Moses § 36) אִתָּה uxoris nomen esse censet. LXX, lectione mutata, reddunt: *ἣ ἔτεκε τούτους τῷ Λευὶ ἐν Αἰγύπτῳ*; sed levi huic mutationi obstat, quod deest, quo suffixum (non *τούτους*, sed *αὐτοὺς* reddendum) referatur; tum quod molesta inde tautologia oritur, et denique quod analogia sequentium negligitur. Non melioris notæ est interpretatio *Perizonii*, (p. 360) qui reddit: quæ ipsa peperit tribui Leviticæ in Ægypto, et peperit Aramo &c. præter leges grammaticas violatas, eadem et heic obstant. Cæteræ interpretationes magis minusve arbitrariæ sunt.

§ 55. *Computatio biblica temporis, quo Hebræi ex Ægypto egressi sunt.*

Hactenus spatia definire conati sumus, agetur jam de loco eorum in ordine rerum; nec tamen aliter is inveniri potest, quam per spatium aliquod sequens computandum, quod ad tempus aliunde notum pertineat. Sponte se offert terminus; nam ab exitu ex Ægypto ad annum 4 Salomonis anni 480 computantur 1 *Reg.* 6, 1. atque annus 4tus Salomonis satis certo constat. Sed pro turbata rerum conditione, quæ tempore judicum exstitit, pro indole ipsorum numerorum,[96]) et ratione, qua chronographus ipse hanc computationem effecit, non licet in hac annorum summa sine crisi subsistere. Quærimus, an chronographus, qui tempore regum vel postea scripsit, annorum summam scire potuerit, atque unde hanc, quam exhibet, composuerit. Spatium annorum 480 elapsum esse, immediate demum constare potuit, si aut æra usurpata doceret, aut series rerum continua temporis mensuram præberet. Neutrum vero inter Hebræos accidit; æram fixam non magis quam alii antiqui populi usurpabant. Quid? quod, studio historico jam excitato, nondum alia fuit temporum mensura, quam singulorum regum regna. Nec altera tempora cognoscendi via patebat; nam ante tempora regum nec fuerant res continuæ, quæ memoriæ proderentur, ut series regum Babyloniis atque Ægyptiis erant; nec fuerant, qui eas litteris consignarent, uti ordo sacerdotum

[96]) Eli, Saul, Davides, Salomo pariter annos 40 regnarunt.

in Chaldæa et Ægypto. Levitæ scilicet religionis tuendæ satagebant; ac sparsi inter alias tribus vivebant. Civitate vero in plures partes dilapsa, totidem fuere historiæ gentis, quot tribus erant. Singuli enim suos quique heroes celebrabant carminibusque suis laudabant; et facile sic accidit, ut mox studio, mox animo ad se solos converso, sua fata tanquam populi fata describerent, et imperium in Israelitas suis heroibus attribuerent. Hujus rerum conditionis indicia interdum emicant. Eglon rex Moabitarum, cui Israelitæ per annos 18 serviisse dicuntur, tamen solam Hierochuntem expugnaverat, et a Benjaminita interemtus est, quo duce soli Cisjordanenses libertatem recuperarunt; et tamen Ehud tanquam judex Israelis describitur. (Jud. 3, 30) Gideon (c. 8.) et Jephta (c. 12, 1) solos Transjordanenses duxerunt, atque hic Ephraimitis adeo bellum intulit. Samson latronum more fines vicinorum Philistæorum infestavit, et tamen judex Israelis dicitur (c. 16, 31). Quemadmodum vero ita singuli judices parti populi præfuere, sic nil obstat, quo minus plures simul regnasse putentur. Defuit igitur rerum continuus ordo, quo memoria firmari et chronologia componi potuisset. Quam ob causam non putandum est, summam annorum 480 immediate auctori libri Regum datam fuisse. Ipse igitur eam computando effecit. Circumspexit scilicet elementa computationis instituendæ, atque historia rerum intercedentium ea ministrare visa est. Commoratio in deserto et imperium Josvæ spatia erant nota; tempora judicum descripta habebantur in libro ante Davidem compo-

sito (Jud. 1, 21). Quamvis auctori ejusdem non mens fuisset chronologiam plenam persequi, tamen plurimæ inspersæ erant temporum definitiones, quas chronographus sibi in usum convertere posset. Ultima denique elementa ab Eli pontifice inde aut traditione recente aut chronicis constabant. Auctorem quoque his ipsis elementis usum esse, probat summa, quam effecit: nam accurate, annis singulorum judicum collectis, annisque, qui ante et post ævum eorum numerantur, additis, summa 480 exit [97]. Computatio vero hinc instituta non admodum firma est; cum fundamento ipsa labat. De spatio commorationis in deserto supra egimus; (§ 50) altera particula, quæ libro judicum continetur, eadem difficultate laborat ac computatio omnis per traditionem oblata, et pendet ab ea opinione, eventa in libro Judicum narrata invicem sibi successisse. Mirum in modum chronographus noster prodidit, quam exiguam libro judicum in tempore computando fidem ipse tribuerit; nam, licet hic liber præter quinque, quas monstrat, lacunas annos, si colliguntur, 390 contineat, chronographus tamen modo annos 279 inde petiit; omisit enim omnes annos, per quos Israelitæ peregrinis servivisse dicuntur. Ex indole libri nil arbitrio hujus computationis prætendi potest; quapropter chronographus rationibus alienis coactus videtur, ut hac arte spatium contrahere conaretur. Et nescio, an recte inde colligamus,

---

[97]) 40 (in deserto) + 25 (Josvæ) + 279 (Judicum) + 40 (Eli) + 12 (Samuelis ante Saulum) + 40 (Sauli) + 40 (Davidis) + 4 (Salomonis) = 480.

eum haud ignorasse, librum judicum spatium nimis longum dare, eundem tamen non habuisse aliud, unde verum spatium constitueret, ideoque per conjecturam haud felicem medelam afferre studuisse. Qui vero auctori longior visus est annorum recensus, nobis adhuc magis contrahendus vel saltem contractionis haud impatiens videtur, siquidem et plures judices oppressionesque simul fuisse, et numeris non nimis credendum esse, monuimus [98]). Quæ quum ita sint, consideratio hujus ejusdemque maximæ partis numeri non fidem ei adstruit. Ultimum elementum [99]), licet tam a parte externa propter secula, ad quæ maxime pertinet, quam a parte interna ob numeros sæpe rotundos, non multum commendetur, dubiis non obnoxium fuisset, nisi exemplum probasset, chronologiæ istius ævi non stricte credendum esse. Etenim ab annis primis Samuelis ad 7 Davidis in 1 Sam. 7, 2 cl. 2 Sam. 6, 2 modo 20 anni computantur, et tamen alibi anni ejusdem

---

[98]) *Leo* Gesch. p. 129. de tempore judicum bene dixit: Zahlen sind derjenige Theil der Sagen, der am wenigsten unverändert bleibt; an eine Chronologie dieser Zeit ist also nicht zu denken. Wer die alten nordischen Sagen, die Eddalieder, benutzen will um eine gewisse Bildungsstufe des germanischen Volksstammes kennen zu lernen, der will vollkommen seine Rechnung finden, wer daraus aber einen Theil der deutschen Geschichte schreiben will, der wird in eine aberwitzige Faselei verfallen.

[99]) Colliguntur ab initio pontificatus Elii ad 4 annum Salomonis anni 136; scilicet 40 + 12 + 40 + 40 + 4 = 136; consultis V. T. et computatione judaica apud *Josephum* Arch. 6, 13, 5.

intervalli plures quam 50 colliguntur. Sic anni 136 in annos 97 contrahuntur [100]).

Itaque parum certa videtur hæc computatio biblica, qua anni 480 inter exitum ex Ægypto et 4tum Salomonis annum intercessisse dicuntur. Nec chronologi Judæi eam relinquere dubitarunt; sed accuratius se computare putantes, spatium adhuc longius extraxerunt. *Josephus* (Arch. 8, 3, 1.) annos 592 computavit, et recentiores quidam ei assentiuntur [1]). Plerasque computationis partes Josephus haud mutatas accepit et solum tempus judicum emendatius computavit; collegit ex libro judicum annos 390 textum sacrum secutus, non suam historiam, ubi et anni et nomina passim omissa sunt. Quantum vero arbitrii et erroris huic rationi insit, patet ex eis, quæ de indole libri judicum dicta sunt. Vicinior tempori, chronologus vetus non potuit ævo judicum tantam annorum multitudinem tribuere; Josephum autem nil impedivit; assumsit igitur, quæ ille neglexerat, et credidit, se sic veritati melius consuluisse. Aliter *interpretes alexandrini*; nam numerum S. S. minuerunt; legunt enim 440; utrum vero hæc mutatio studio corrigendi, an errori debeatur, dici nequit. Intellexerunt fortasse, opus esse, ut hoc spatium adhuc in brevius contraheretur. Probant vero hæc exempla, Judæos non historicam auctoritatem

---

[100]) Scilicet 40 (Elii) + 20 (Samuelis et Davidis) + 33 (reliqui Davidis) + 4 = 97.

[1]) *Michaelis* Gött. Magaz. 1 Jahrg. p. 197. *Rask.* ag. T. p. 94. *Prichard* p. 133. *Judæi Sinenses* aliique.

numero annorum 1 Reg. 6, 1. tribuisse; nescimus vero adhuc, spatiumne longius an brevius fuerit.

§ 56. *Continuatio.*

Quum igitur nulla certa relatio de vero spatio supersit, non aliud consulendum habemus, quam generationes, quæ eodem spatio contineri dicuntur. Haud inficias ibimus, lubricum esse, a genealogiis tempora computare, nam partim generationis mensura non semper sibi constat, partim fieri potuit, ut membra e genealogiis exciderent; sed monemus, illud periculum eo minus esse, quo plura membra genealogiæ sint et quo plures genealogiæ conferri possint; hoc vero tam cura Hebræorum solita, præsertim si memoria per nomina quædam inclyta adjuvetur, quam collatione multorum stemmatum fere omnino tolli. Ne vero regulas a tempore et loco alienas sequamur, per exempla spatii noti solitam generationis mensuram inter Hebræos explorabimus. In 1 Chron. 6, 8–15 recensetur ordo pontificum a Salomone usque ad exilium babylonicum: nomina 12 adsunt annos 442 (a 1030 ad 588) æquantia, et jam $\frac{442}{12} = 36\frac{5}{6}$. Ibidem 3, 1. 10–16. generationes stirpis Davidis annos 512 aquantes (ab 1100 ad 588) 18 recensentur, id quod generationi annos $28\frac{4}{9}$ esse jubet. Si reputamus, pontifices semper esse primogenitos filios, miramnr, longiores esse pontificum generationes; sed quoniam auctori non propositum fuit genealogiam scribere, sed ordinem pontificum, et vix fieri potuit, ut semper filius patri superstes fuerit, suspicari licet, alicubi nepo-

tem ex filio primogenito pro filio adesse. Sed etiam sine hac hypothesi, factore medio electo, licet generationes solito spatio 30 annorum computare. Quodsi ad hanc normam rationes ineuntur, non una aliqua, sed omnes, quotquot Hebræi libri exhibent, genealogiæ spatium inter exitum ex Ægypto et Salomonem non multum ultra annos 350 extendere sinunt, omnes vero simul in brevius spatium quadrant. Genealogia *Davidis* (Ruth 4, 17-22. 1 Chron. 2, 9-15) brevissima omnium est; ponit Davidem in decimo loco a Juda; tamen et confirmatur per historiam de Rutha in media genealogia collocatam, et non tanta est brevitas, ut necessarie nomina excidisse putentur; nam, quum Davides septimus filius nasceretur, idque sæpius accidere potuerit, generationes nonnullæ longæ fuisse videntur. Si vero duæ pro quinquagenis annis computantur, cæteræ 8 pro trigenis, et duæ, quarum una (Salomonis) longior, addantur, a Juda ad Salomonem regem anni 410 facile hinc effici possunt; demtis annis commorationis in Ægypto, ergo inter exitum et 4 annum imperii Salomonis anni fere 310 vel 320 supersunt. — Series *pontificum* inter Aaronem et Eli sex viros continuisse dicitur; [2]) quamvis enumeratio traditioni maxime debeatur, tamen non levis fides est pro sollicita Judæorum cura [3]). Eli vero annos 136 ante Salomonem ætatem maturam nactus est, quum vero

[2]) *Jos.* Arch. 5, 11, 5.

[3]) *Jos.* c. Ap. 1, 7. *ὁι ἀρχιερεῖς ὁι παρ᾽ ἡμῖν ἀπὸ δισχιλίων ἐτῶν ὀνομαςοὶ παῖδες ἐκ πατρὸς ἐισὶν ἐν ταῖς ἀναγραφαῖς.*

septimus sit ab Aarone, jam ætate provecto, quum Hebræi egressi sunt, sextus habendus est ab Eleazaro sive exitu ipso: distat igitur ab eodem annos 180, vel si generationes longiores fuerint 200. Spatium ad Salomonem sic annos 316 vel 336 æquat. — Alia est pontificum series, quæ solos posteros Eleazari usque ad exilium recenset 1 Chron. 6, 4-15. continet nomina 22 [4]); in loco decimo ab Eleazaro adest *Zadochus*, qui tempore Davidis et Salomonis munere fungebatur (2 Sam. 8, 17. 1 Regg. 2, 35). Si Zadochus anno 4 imperii Salomonis eandem ætatem habuerit atque Eleazar ex Ægypto proficiscens, decem generationes labuntur; ergo anni 300 sive pro modulo genealogiæ pontificum $10 \times 36\frac{5}{6} \doteq 368$. Si vero tunc, ut credere fas est, senex fuerit Aaroni ætate æqualis, undecim numerandæ sunt generationes. Porro si semel nepos loco filii positus sit, duodecim efficiuntur generationes; ubi vero eæ ad normam breviorem computantur, inveniuntur anni 342 ($12 \times 28\frac{1}{2} = 342$). — Tres sunt Levitarum genealogiæ, *Asaphi*, *Ethani* et *Hemani*, quæ modo ad Davidem continuantur, 1 Chron. 6, 33-48. Asaphus in generatione 14 et Ethanus in 13 a Levi reperiuntur. Si his una generatio addatur, ut ad tempora Salomonis descendatur, æva sunt 15 et 14; si tres generationes ad commorationem in Ægypto referuntur, 12 et 11 spatium nostrum complectuntur. adsunt igitur anni 300 aut 330.

---

4) Ab Eleazaro ad exilium $21 \times 36\frac{5}{6} = 772$ (ɔ: 1350 — 558 = 762).

Adest quidem una genealogia, quæ turbas movere videtur: Hemanus scilicet coævus eisdem loco 21, et, collata genealogia ejusdem repetita, quæ eadem est Samuelis 1 Chron. 6, 20-28, adeo in loco 23 reperitur; id quod duplo majorem annorum numerum poscere videtur. Duplex heic ferri potest sententia: aut longior hæc genealogia sola plena habetur, cæteræque omnes mancæ dicuntur; aut hypothesis adhiberi debet, ut omnes concilientur. Illud vetare videtur natura ipsius rei: ex quinque genealogiis fere totidem membra excidisse credendum esset, ut una genealogia sibi constet. duæ ex eisdem, Davidis scilicet et pontificum, insignem fidem merentur, parem saltem fidei, quæ genealogiæ Samuelis est. Numero non magis, quam mutua consensione illæ firmantur; hæc sola est, et confusionem haud obscure prodit.[5]) Itaque si discrepantia tanta esset, ut temporis spatium nullo pacto conciliari posset cum spatio ex cæteris deducto, desperanda vix fuisset fides illarum; quid vero si facili hypothesi componitur lis? Nam si tota genealogia per primogenitos filios deducta sit, si matrimonia admodum mature inita fuerint, si plures generationes ad commorationem in Ægypto referantur, quam in cæteris gentibus, naturæ non repugnat, si 22 generationes annos fere 460 æquare dicuntur. Si quinque generationes ad Ægyptum referuntur, (Kehat, Aminadab, Kora,

---

[5]) Membra supplenda sunt v. 24. 27. et aliena adsunt v. 25; in v. 37 desunt, quæ in v. 22. 23 inserta erant.

Assir, Elkana)[6]) restant 17; quæ si universim vigenis annis constiterint, anni 340 efficiuntur. Quum vero et hæc summa, pluribus generationibus ad commorationem Ægyptiacam relatis, adhuc contrahi, cæteræ vero aliquantum augeri possint, medium terminum quærere debemus, qui itaque proxime ad verum inter exitum et ævum Salomonis spatium accedet.

Habemus igitur:

Genealogias	Membra inde a filiisJacobi	in Aegypto	ab exitu usque ad	
			David.	Salom.
Davidis	10	3	7	8
Pontificum 1	10	4	9	10
Pontificum 2	13	4	9	10
Asaphi	14	4	10	11
Ethani	13	4	9	10
Hemani	23	(5)	18	19
				68
				30
				6) 2040
				340

qui sic medius est numerus ex tot factoribus collectus. Quam certa vero hæc temporum mensura sit, simplex experientia docet: jam in una genealogia, quæ nomina plus quam 6 continet, fere nunquam fallit computatio: quid igitur, si sex conjunguntur genealogiæ? aberratio, quæ in una adesse

---

6) Korah, Mosi ætate æqualis, facile nepotes habuisse putatur, quum Hebræi egressi sunt.

potest, sexies minuitur, et sic pro nihilo æstimanda est. Quum vero generationes tam breve spatium fuisse demonstrent, non mirandum est, chronographum in 1 Regg. 6, 1 magnopere impeditum fuisse nimiis numeris, quos liber Judicum exhiberet, eumque aliquam concordiam, nonnullis ex arbitrio omissis, facere conatum esse. Annos autem ipsorum judicum contrahere non ausus, nimiam tamen summam effecit. Quomodo vero idem liber cum nostra computatione conciliari queat, non heic quærimus; ea, quæ supra monuimus, in universum rationem indicant. Heic numeris incertis opposuimus constantem naturæ ordinem, relationi de annis opposuimus relationes de generationibus, et utri magis fidere debeamus, dubitari nequit. Quodsi templi fundamenta a Salomone anno 1012 a. C. jacta sunt,[7]) exitus fere anno 1352 accidit, id quod ex annalibus Ægyptiacis item effecimus. Si autem anno 1027 jacta putantur,[8]) decennium in hac computatione urgere nolumus, exitus etiam sic in medio seculo 14 accidit. Ut vero hic consensus inter relationes duorum populorum mirandus est, sic certissimum præbet veritatis inventæ documentum.

---

[7]) Sic *Petavius* Rationarium temporum p. 53.

[8]) *Rask* d. æg. Z. p. 94.

Emendanda:

Pag.	10	lin.	11	mentione	*leg.*	mentionem
—	11	-	6	Ktetias	-	Ktesias
—	12	-	10	accendunt	-	accedunt
—	21	-	7	actavo	-	octavo
—	24	-	4	probilius	-	probabilius
—	62	-	23	ædificare	-	ædificari
—	75	-	9	ultimæ	-	ultima
—	—	-	10	invasioni	-	invasione
—	84	-	5	Gen. 2	-	Gen. II
—	94	-	18	indigenos	-	indigenas
—	131	-	4	matriomonia	-	matrimonia
—	192	-	12	1582	-	1519
—	215	in nota		772	-	773
—	ibid.			558	-	588.

